Lateinisches
Lese-buch

zur

Uebung im Uebersetzen

für

junge Lateiner

Aus den besten alten und neuern lateinischen Schriftstellern zusammengetragen

von

Joseph Uihlein

Frankfurt am Main
in der Andreäischen Buchhandlung
1808

Vorrede.

Vor einigen Jahren ließ ich zum Gebrauche in meiner Schule ein kleines lateinisches Lesebuch drucken, wovon sich bereits die zweyte Auflage vergriffen hat. Ich fand aber, daß dieses Büchlein zu dem, wozu ich es bestimmt hatte, zu beschränkt sey; daher ich zu dieser neuen Auflage ganz neue Materialien zusammentrug, so, daß es ein ganz anderes Buch geworden ist.

Alles, was dieses Lesebuch enthält, ist aus den Alten genommen, nur die Fabeln sind aus den äsopischen Fabeln des Hrn. F. J. Desbillons ausgewählt: die Gespärche habe ich, wie so viele meiner Vorgänger, aus den ältern, bewährten Schulbüchern entlehnt. Das Ganze ist so geordnet, daß die Stufenfolge vom Leichten zum Schwerern nicht vergessen wurde, und jedes Stück eine, meistens auf die Jugend berechnete, nützliche Lehre enthält.

Zum bequemern Gebrauche desselben ein Wortregister anzuhängen, habe ich auch dieses Mal unterlassen, weil ich noch immer, wie ich mich schon in der Vorrede zu meinen deutschen Aufgaben erkläret habe, der Meinung bin, man

lasse die Schüler selbst in einem Wörterbuche das Nöthige suchen, wenn sie etwas ohne Hülfe des Lehrers übersetzen sollen. Sie werden freylich alsdann manchen Mißgriff machen, und sich oft kaum herauszuhelfen wissen; allein das thut nichts, sie sollen auch bey dieser kleinen Arbeit selbst arbeiten, selbst denken lernen. Wie mag es solchen Schülern zu Muthe seyn, die gewöhnt sind, immer unter dem Texte nur die einzige Bedeutung des Wortes zu sehen, die es in dem Zusammenhange des vorliegenden Satzes hat, wenn sie einmal eine andere lateinische Aufgabe zu übersetzen bekommen? Das öftere Nachschlagen im Wörterbuche trägt mit dazu bey, daß die Schüler eher die vielfache, oft, dem Scheine nach, fast ganz entgegengesetzte Bedeutung mancher lateinischer Wörter kennen lernen, welches alles ihnen zu zeigen, man bey Erklärung eines lateinischen Schriftstellers nicht immer Gelegenheit hat.

Freuen würde es mich, wenn diese kleine Arbeit, auch von meinen auswärtigen Herren Kollegen für würdig gehalten würde, den jüngen Lateinern zu einigem Gebrauche empfohlen zu werden.

Mainz, den 20ten November 1807.

Erste Abtheilung.

Kleine moralische Sätze.

1.

Labor continuus assuetudine fit levior. — Qui timet omnes insidias, in nullas incidit. — Qui se ipsum laudat, cito derisorem invenit. — Oblivio est remedium injuriarum. — Unus ingratus miseris omnibus nocet. — Laborare non est dedecori, sed otiari. — Inopi beneficium bis dat, qui dat celeriter. — Magna prudentia est, aliorum imprudentiam ferre. — Animo valere praeoptes, quam corpore. — In bello ferrum dominatur, in pace eruditio. — Quid tibi pecunia opus est, si ea uti non potes. — Rudes homines tantumodo forma a brutis distant. — Negligentia juventus silvescit. — Ex spe praemii solatium fit laboris. — A perversis vituperari decorum est.

2.

Sub sordida veste saepe scientia latet. — Ex vitio alterius sapiens emendat suum. — Concordia res parvae crescunt; discordia maximae dila-

buntur. — Sub pelle agnina saepe latitat mens lupina. — Modestum esse decet, qui aliena mensa fruitur. — Sub nive quod tegitur, omne videtur, cum nix perit. — Si turpe quid admittas turpe est, etiamsi nemo sciat. — Qui tangit picem, inquinabitur ab ea. — Majora perdes, minora ni servaveris. — Si aliorum mala nosses, aequius tua ferres. — Te prodet facies, turpia cum facies. — Fur furem cognoscit, et lupus lupum. — Amoris simulatio pejor est odio. — Nihil est otiosa senectute jucundius. — Nullum est animal altero doctius.

3.

Parentes ama; cognatos cole; Magistratum metue. — Cede majori et parte minori. — Lege libros, et quae legeris, memento. — Mutuum da, sed cui des, videto. — Miseris benefacito, et beneficii accepti memor esto. — Ab alio exspectes, quod alteri feceris. — Amicum laedere, ne joco quidem licet. — Amicum perdere est damnorum maximum. — Avarum irritat, non satiat, pecunia. — Considera, quid dicas, non quid cogites. — Crudelis est, non fortis, qui infantem necat. — De inimico ne loquaris male, sed cogites. — Dolor animi gravior est, quam dolor corporis. — Quisquis patrem veretur, bonus civis evadet. — De fructu arborem cognosces. — Cave tibi a cane muto et aqua silente. — Turpe est, aliud loqui, aliud sentire. — Utrumque vitium est, nulli credere et omnibus.

4.

Ut moderata quies prodest, sic nimia hebetat corpus. — Quisquis non corrigit peccantem puerum, odit eum. — Ne temere hunc, qui tibi blanditur, credas amicum. — Si quis te objurgat, cum quid male feceris, illi gratiam habe, et caveto, ne iterum queat objurgare. — Noli mentiri, nunquam mendacia prosunt. — Disce aliquid; nam ars remanet, cum subito fortuna te deserit. — Sine doctrina vita est quasi mortis imago. — Noli tibi ponere spem in morte alterius. — Cum te aliquis laudat, judex tuus esse memento. — Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas. — Esto saltem bonus, si non potes esse peritus. — Discite, quid virtus et quid sapientia possit.

5.

Divitias nec nimis amare nec spernere debes. — Turpia spectacula currumpunt teneros mores. — Stultum est, id petere, quod potest jure negari. — Gutta cavat lapidem non vi, sed saepe cadendo. — Sic homo fit doctus, non vi, sed saepe legendo. — Scribere scribendo, dicendo dicere disces. — Ex multis millibus unus vix fidus amicus; hic rarior esse, solet albo corvo. — Si vis sapiens dici, pauca et meditata loquare: saepe loquax verbis suis ipse proditur. — Lex sine rege, velut lumen sine sole esset: rex sine lege velut sol sine luce foret. — Disce, et quae discis, memori sub pectore conde; alias facies tantundem, ac si hauseris undam cribro.

6.

Principio studia inamoena videntur, sed dulces profert parvo post tempore fructus. — Semper praefer amorem virtutis opum cupiditate. — Quod donare potes, gratis dona roganti. — Navita de ventis, de tauris narrat arator; enumerat miles vulnera, pastor oves. — De nuce fit corylus, de glande fit ardua quercus; ex parvo puero saepe peritus homo. — Vespere flet saepius is, qui risit mane sereno. — Si juventa est libera vitiis, senectus jucunda erit. — Dupliciter peccat, qui se de crimine jactat. — Fortuna nimium quem fovet, stultum facit. — Fortuna vitrea est, tum, cum splendet, frangitur. — Quid est melius aut praestantius bonitate atque beneficentia.

7.

Geminat peccatum, quem delicti non pudet. — Ibi semper est victoria, ubi concordia est. — Ignis probat aurum, miseriae fortem probant. — Ignoscito saepe alteri, nunquam tibi. — Parva saepe scintilla contemta magnum excitavit incendium. — Quae fortuita sunt, certa esse non possunt. — Curiosum est, ea scire velle, quae ad nos non pertinent. — Idem velle atque idem nolle ea est firma amicitia. — Maximum ornamentum amicitiae tollit, qui ex ea tollit verecundiam. — Vera gloria radices agit, atque etiam propagatur; ficta omnia celeriter tanquam flosculi decidunt. — Nemo potest beatus esse sine virtute. — Non ita generati

a natura sumus, ut ad ludum et jocum facti esse videamur. — Solem e mundo tollere videntur, qui amicitiam e vita tollunt.

8.

Ii sapientes sunt existimandi, qui nullum pro salute patriae periculum vitant. — Nulla est excusatio peccati, si amici causa peccaveris. — Multi homines contentionis sunt avidiores quam veritatis. — Omnia, quae pulchra, honesta, praeclara sunt, plena gaudiorum sunt. — Conscia mens recti famae mendacia ridet. — Credulitas facit plurimum mali. — Dimidium facti, qui bene coepit, habet. — Nemo mortalium omnibus horis sapit. — In unoquoque virorum bonorum habitat Deus. — Beneficiorum maxima sunt, quae a parentibus accipimus, dum aut nescimus aut nolumus. — Cujusvis hominis est errare; nullius, nisi insipientis, perseverare in errore. — Audaces fortuna juvat, timidosque repellit.

9.

Ver hiemem sequitur, sequitur post triste serenum. — Parisios bipedem si quis transmittat asellum, si fuit hic asinus, non ibi fiet equus. — Tranquillas etiam naufragus horret aquas. — Nitimur in vetitum semper, cupimusque negata. — Nemo docere potest, quod ipse nondum novit. — Fortis animi et constantis est, non perturbari in rebus asperis. — Scire aliquid laus est; culpa est

nil discere velle. — Disce libens, quid dulcius est, quam discere multa? discentem comitantur opes, comitantur honores. — Quae bona sunt, sectare, etiamsi principio dura videntur. — Puta, primam esse virtutem, compescere linguam. — Qui alterum incusat probri, ipsum se intueri oportet. — Nulla pestis humano generi plus stetit, quam ira. — Nulla possessio, nulla vis auri atque argenti pluris quam virtus aestimanda est.

10.

Nihil est naturae hominis accommodatius, quam beneficentia ac liberalitas. — Est et fideli tuta silentio merces. — Innocentiae plus periculi quam honoris est. — Nulla potest esse voluptati cum honestate conjunctio. — Virtutes hominibus decori gloriaeque sunt. — Quod aliis vitio vertis, tibi laudi ne duxeris. — Memento, officium alterius narrare multis, sed cum tu aliis benefeceris, sileto. — Exigua his tribuenda est fides, qui multa loquuntur. — Fac, tibi sit vultus comis, sermoque modestus, sic multos facile tibi conciliabis amicos. — Alterius non sit qui suus esse potest. — Venturae memores jam nunc estote senectae, sic nullum tempus vobis abibit iners. — Contra verbosos noli contendere verbis; sermo datur cunctis, animi sapientia paucis.

11.

Si tibi quies grata est, ne parce labori, ipse labor enim dux est ad honoratam quietem. — Quidquid agis, prudenter agas, et respice finem. —

Plus vigila semper, nec somno deditus esto; nam diuturna quies vitiis alimenta ministrat. — Quae culpare soles, ea tu ne feceris ipse. — Vir bonus est is, qui prodest, quibus potest, nocet nemini — Multi, quum opes parant, cui parent, nesciunt. — Non semper bonum illud est, quod cupimus ardenter. — Non solum ipsa fortuna coeca est, sed etiam eos plerumque efficit coecos, quos complexa est. — Candida pax homines, trux decet ira feras. — Plerique amicos eos potissimum diligunt, ex quibus sperant, se maximum fructum esse capturos.

12.

Ea est profecto jucunda laus, quae ab his proficiscitur, qui et ipsi in laude vixerunt. — Prima adolescentis commendatio proficiscitur a modestia. — Non modo patienti, sed etiam libenti animo religioni parebo. — Quae tam firma civitas est, quae non odiis atque dissidiis funditus possit everti: — Digni sunt amicitia, quibus in ipsis inest causa, cur diligantur. — Ubi coepit pauper divitem imitari, perit. — E vitio alterius disce cavere tibi. — Felix est, quem faciunt aliena pericula cautum. — Contra vim mortis non est medicamen in hortis. — Coelum non animum mutant, qui trans mare currunt.

13.

Meliora sunt ea, quae natura, quam illa, quae arte perfecta sunt. — Decet cariorem esse patriam nobis, quam nosmet ipsos. — Nullum

est certius amicitiae vinculum, quam consensus et societas consiliorum et voluntatum. — Quanto superiores sumus, tanto submissius nos geramus. — Quamvis se ipso contentus est sapiens, amicis illi opus est. — Senectus jure vacat muneribus iis, quae non possunt sine viribus sustineri. — Natura fert, ut eis faveamus, qui eadem pericula, quibus nos perfuncti sumus, ingrediuntur. — Illud natura non patitur, ut aliorum spoliis nostras facultates augeamus. — A bove majori discit arare minor. — Non procul a proprio stemmate poma cadunt.

14.

Noscitur ex socio, qui non cognoscitur ex se. — Cantabit vacuus coram latrone viator. — Vive pie semper, frustra peccata teguntur, nullus in his terris est sine teste locus. — Cum recte vivas, ne cures verba malorum. — Regia, crede mihi, res est, succurrere lapsis. — Malefacta mendacio celare, nec virum nec juvenem ingenuum decet. — Sola virtus et generositas pecuniis emi non possunt. — Neque coecum ducem, neque amentem consultorem adhibe. — Principiis obsta sero medicina paratur, cum mala per longas invaluere moras. — Nemo unquam sapiens proditori credendum esse putavit.

15.

Consulturus aliquem, vide, ut rebus ipse suis consuluerit. — Remota justitia, quid sunt

regna, nisi magna latrocinia. — Nihil turpius est, quam grandis natu senex, qui nullum aliud habet argumentum, quo se probet diu vixisse, praeter aetatem. — Quanti est aestimanda virtus, quae nec eripi unquam potest, neque naufragio neque incendio amittitur. — Haec invidorum abominanda est indoles: quibus uti nequeunt, neminem his frui volunt. — Et discas oportet, et quod didicisti, agendo confirmes. — Prudentia vetat cum ullo hoste congredi. — In voluptate spernenda et repudianda virtus vel maxime cernitur. — Multi in equis parandis adhibent curam, in amicis eligendis negligentes sunt. — Bene sentire, recteque facere satis est ad bene beateque vivendum. — Ut ad cursum equus, ad arandum bos, ad indagandum canis: sic homo ad duas res, ad intelligendum et agendum natus est.

16.

Illud, nosce te ipsum, non ad arrogantiam minuendam solum est dictum, verum etiam, ut bona nostra norimus — Stultus est, qui equum emturus, non ipsum inspicit, sed stratum ejus ac frenos. — Haec lex sanciatur in amicitia, ut neque rogemus res turpes, nec faciamus rogati. — Illa deridenda arrogantia est, in minoribus navigiis rudem esse se confiteri; quinqueremes, aut etiam majores gubernare se didicisse. — Averte impuris procul a sermonibus aures, et qui illis gaudent horum consortia vita. — Quam felix puer est,

virtus in quo anteit annos; illum omnes meritis certatim laudibus ornant, et spectant cupide, et felicia cuncta precantur; at contra nemo alloquio dignatur inertes; spernuntur cunctis, et vulgi fabula fiunt.

17.

Homo, quod crebro videt, non miratur, etsi, cur fiat, nescit. — Donec eris felix multos numerabis amicos; tempora si fuerint nubila, solus eris. — Facile omnes, cum valemus, recta consilia aegrotis damus. — Qui non propulsat a suis injuriam, cum potest, injuste facit. — Causam investigato in re nova atque admirabili, si poteris; si nullam reperies, illud tamen exploratum habeto, nihil fieri potuisse sine causa. — Quod turpe est, id, quamvis occultetur tamen honestum nullo modo fieri potest. — Si quis in coelum adscendisset, naturamque mundi et pulcritudinem siderum perspexisset, insuavis illa admiratio ei foret, quae jucundissima fuisset, si aliquem amicum, cui narraret, habuisset.

18.

In omnibus seculis pauciores viri reperti sunt, qui suas cupiditates, quam qui hostium copias vincerent. — Nihil est, quod tam miseros faciat homines, quam impietas et scelus. — Omnis virtus nos ad se allicit, et facit, ut eos diligamus, in quibus ipsa inesse videatur. — Iratus de re

incerta contendere noli: impedit ira animum, ne possit cernere verum. — Corporis exigui vires contemnere noli: consilio pollet, cui vim natura negavit. — Luxuriam fugito, simul et vitare memento crimen avaritiae; nam sunt contraria famae. — Auxilium a notis petito, si forte laboras; nec quisquam melior medicus, quam fidus amicus. — Qui cernunt crimina aliorum, nec sua cernunt, hi sapiunt aliis, desipiuntque sibi. — Omnia cum pereant, virtus est sola perennis; haec immortales reddere homines sola potest.

19.

Fit, nescio quomodo, ut magis in aliis cernamus, quam in nobismet ipsis, si quid delinquitur. — Talem te esse oportet, ut te ab impiorum civium societate sejungas. — Qui id, quod vitari non potest, metuit, is vivere animo quieto nullo modo potest. — Fit, ut isti de domino loquantur, quibus coram domino loqui non licet. — Sapienter cogitant, qui temporibus secundis casus adversos reformidant. — Si incolae bene morati sunt, pulchre munitum est oppidum. — Meminisse officia debet is, in quem collata sunt; non commemorare, qui contulit. — Ne somnum admittas ante, quam ex te ipso quaesieris: quid egi? quid agendum omisi? — Vade ad formicam, o piger! et disce sapientiam; haec enim tempore aestatis sibi cibum parat, quem comedat in hieme.

20.

Invenio apud sapientes, honestissimum esse, majorum vestigia sequi, si modo recto itinere praecesserint. — Ludo et joco quidem uti licet, sed sicut somno et quietibus ceteris tum, cum gravibus seriisque rebus satisfecerimus. — Quamquam omnia alia falsa, incerta, caduca mobilia sunt; virtus est una altissimis defixa radicibus, quae nunquam ulla vi labefactari potest. — Isthoc est sapere, non, quod ante pedes modo est, videre; sed etiam illa, quae futura sunt, prospicere. — Per incommodum alterius et calamitatem qui non ascendit, et sua virtute in altiorem locum pervenit, is mihi videtur amplissimus. — Auream quisquis mediocritatem diligit: saepius ventis agitatur ingens pinus: et celsae turres decidunt graviore casu: feriuntque fulmina summos montes. — Non possidentem multa vocaveris recte beatum: rectius occupat nomen beati, qui deorum muneribus sapienter uti, duramque callet pauperiem pati. — Commoda, quibus utimur, lucemque, qua fruimur, spiritumque, quem ducimus, a Deo nobis dari atque impertiri videmus. — Plus prodest, si pauca sapientiae praecepta teneas, sed illa in promtu tibi et in usu sint, quam si multa quidem didiceris, sed illa non habeas ad manum.

Zweyte Abtheilung.

Merkwürdige Reden.

1. Thales interrogatus, an facta hominum Deum fallerent? *Nec cogitata* inquit.

2. Diogenes quaerenti, quid apud homines celerrime senesceret? *beneficium*, inquit.

3. Improbo homini, subinde percontanti, quis esset inter Spartanos vir optimus? Agis respondit: *qui tui est dissimillimus.*

4. Porus rex, ab Alexandro devictus et captus, cum ab eo rogaretur: quomodo te tractabo? *regaliter*, ait.

5. Agis interrogatus, quot haberet milites? *quot sufficiunt*, inquit, *ad fugandos hostes.*

6. Cum ad Leonidam quidam militum dixisset: Hostes sunt prope nos; *et nos*, inquit, *prope illos.*

7. Cuidam dicenti, maximum esse numerum hostium; Laco respondit: *Tanto major erit gloria nostra.*

8. Aristippus cuidam glorianti, quod multum bibens non inebriaretur: *Hoc*, inquit, *etiam mulus potest.*

9. Cicero Fabiae Dolabellae dicenti, se triginta annos habere; *verum est*, inquit, *nam hoc jam ante viginti annos audivi.*

10. Samniorum legatis, longa oratione usis, responderunt Spartani: *Prima sumus obliti, postrema non intelleximus, quia prima non meminimus.*

11. Quidam conspecta tabula, quae in pictura trucidatos ab Athenicensibus spartanos repraesentabat: *fortes* inquit, Athenienses. Id Lacon audiens subjecit: *In tabula.*

12. Miser poeta praelegerat Theocrito versus suos. Tum interrogabat: quosnum maxime approbaret? *quos omisisti*, respondit.

13. Antisthenes audiens, ab improbis quibusdam se esse laudatum: *Vereor*, inquit, *ne quid imprudens mali fecerim.*

14. Solon cum interrogaretur, cur nullum supplicium constituisset in eum, qui parentem necasset: respondit, *Se id neminem facturum putasse.*

15. Antigonus Philippo filio multis praesentibus quaerente, quando castra moturus esset? *Ecquid*, inquit, *times, ne solus tubam non sis auditurus?*

16. Socratem ajunt, colapho percussum, nihil amplius dixisse, quam *molestum esse, quod nescirent homines, quando cum galea prodire deberent.*

17. Bias nihil respondit homini impio, percontanti, quid esset pietas. Cumque ille sciscitaretur causam silentii: *Tace*, inquit, *quia de rebus, nihil ad te pertinentibus, quaeris.*

18. Socrates interrogatus, quinam homines tranquille viverent? *Qui*, inquit, *nullius turpitudinis sibi conscii sunt.*

19. Epictetus interrogatus, quis esset dives; *cui*, inquit, *satis est*, *quod habet.*

20. Egregie Aristoteles ait, *nunquam nos verecundiores esse debere*, *quam cum de Deo agitur.*

21. Titus Augustus, recordatus quondam super coenam, nihil se toto die cuiquam praestitisse, dixit: *amici*, *hodie diem perdidi.*

22. Arrstippus percontanti, quae potissimum adolescentibus essent discenda? *Quae viris*, inquit *usui futura sunt.*

23. Plato cuidam narranti, esse quosdam, qui ipsum maledectis insectentur: *at ego*, inquit, *sic vivam*, *ut nemo istis habeat fidem.*

24. Thales rogatus, quid maxime commune esset hominibus. *Spes*, respondit, *hanc enim et illi habent*, *qui aliud nihil.*

25. Aristippus cuidam, de multiplici eruditione gloriandi, dixit: *Quemadmodum non ii*, *qui plurimum edunt*, *melius valent his*, *qui sumunt*, *quantum opus est; ita non*, *qui plurima*, *sed qui utilia sciunt*, *eruditi sunt habendi.*

26. Antoninus Pius hanc celebratam Scipionis sententiam saepe in ore habebat: *Malle se unum civem servare*, *quam mille hostes occidere.*

27. Socrates interrogatus, qua ratione potissimum quis adsequi posset, ut apud homines honestam habeat famam: *Si loquatur*, inquit, *quae sunt optima*, *et faciat*, *quae sunt honestissima.*

28. Cum Alexander Magnus postulasset, ut se Lacedaemonii in deorum numerum referrent:

Age, inquit rex eorum Damis, *quoniam Alexander deus esse vult, esto.*

29. Noctu ambulabat in publico Themistocles, quod somnum capere non posset, quaerentibusque respondebat, *Miltiadis tropaeis se e somno suscitari.*

30. Cum garrulus quidam, multa nugatus apud Aristotelem, tandem dixisset: fortasse molestus tibi sum nugis meis; *neutiquam*, inquit *neque enim adverti animum.*

31. Agis, Laudaemoniorum rex, audiens, quosdam horrere hostium multitudinem, ait: *Non percontandum est, quot sint hostes, sed ubi sint.*

32. E Lacedaemoniis unus, cum Perses hostis in colloquio dixisset glorians: Solem prae jaculorum multitudine et sagittarum non videbitis; in *umbra igitur*, inquit, *pugnabimus.*

33. Lacaena quaedam cum filium in proelium misisset, et interfectum esse audisset: *Idcirso*, inquit, *genueram, ut esset, qui pro patria mortem non dubitaret occumbere.*

34. Alexander audiens, Darium, Persarum regem, innumerabiles parare militum copias, respondit: *Unus lupus non timet multas oves.*

35. Anacharsides exprobranti cuidam Attico, quod natus esset in Scythia: *Mihi*, inquit, *probro est patria, tu patriae.*

36. Cum legatus quidam apud Agidem multa locutus, vix dicendi finem reperisset, rogaretque postea, quid civibus suis esset renuntiaturus. Agis,

Agis, *illud*, inquit, *renuntia*, *quantum temporis tibi fuerit opus ad dicendum*, *tantum mihi ad audiendum.*

37. Diogenes aliquando lucernam accensam gestans ambulabat in foro clarissima luce, quaerenti similis. Rogantibus, quid ageret, *hominem*, inquit, *quaero.*

38. Idem cum videret, Megarensium liberos nullis bonis artibus instrui, cum pecorum curam diligentem haberent, dicebat: *Malle se Megarensis alicujus arietem esse quam filium.*

39. Demonax, cum videret quendam veste sua gloriantem, prehensa veste: *atqui*, inquit, *hoc ante te ovis gestabat*, *et ovis erat.*

40. Peregrinus quidam, Spartae commorans, altero pede stans rectus, ad Laconem dicebat: Non credo, te tantum temporis, quantum ego, pede uno stare posse. Lacon, *minime*, inquit, *sed ex anseribus nullus est*, *qui hoc non possit.*

41. Crates philosophus cum vidisset adolescentem in secessu ambulantem, interrogavit, quid illic solus faceret? mecum, inquit, loquor. Cui Crates: *Cave*, inquit, *ne cum homine malo loquaris.*

42. Accessit ad Aristippum philosophum paterfamilias, rogavitque ut filium suum susciperet erudiendum. Quum vero ille pro mercede petiisset quingentas drachmas; pater deterritus pretio, quod ignaro avaroque homini nimium videbatur: tanti, dixit; emere mancipium possum. Tum philosophus: *Eme*, inquit, *et habebis duo.*

43. Diogenes projici se post mortem jussit inhumatum. Tum amici: volucribusne et feris? Minime vero, inquit, *sed bacillum propter me, quo abigam, ponitote.* Qui poteris? illi; non enim senties. *Quid igitur mihi*, inquit, *ferarum laniatus oberit, nihil sentienti?*

44. Idem aliquando Myndum profectus cum videret portas amplas ac magnifice exstructas, cum oppidum esset exiguum: *Viri*, inquit, *Myndii, claudite portas, ne urbs vestra egrediatur.*

45. Bias navigabat aliquando cum hominibus improbis. Cum vero, tempestate exorta navis quateretur fluctibus, atque isti invocarent deos: *Silete*, inquit, *ne vos hic illi navigare sentiant.*

46. Cum inter duos scelestos judex esset Philippus Macedoniae rex, audita causa pronuntiavit, *ut alter e Macedonia fugeret, alter illum insequeretur.* Quo faceto judicio utrumque exulem esse jussit.

47. Sophista quidam, ostentaturus apud Diogenem acumen ingenii, ita ratiocinatus est: Quod ego sum, tu non es. Cum annuisset Diogenes: Ego, inquit, sum homo, tu igitur non es. Tum Diogenes: *A me*, inquit, *incipe, et recte collegeris.*

48. Mercator quidam cum interrogaretur, quomodo sibi parasset divitias? *Magnas*, inquit, *haud difficulter, exiguas vero cum labore ac tarde.*

49. Cum Thales interrogaretur, quid esset omnium vetustissimum? respondit; *Deus*, quod nunquam esse coepit. Quid esset pulcherrimum?

respondit: *Mundus*; est enim opus Dei, quo nihil est pulchrius. Quid velocissimum? *Mens*; discurrit enim per universa. Quid robustissimum? *Necessitas* sive *fatum*; superat enim omnia.

50. Cum quidam Atheniensis filium adolescentulum ad Socratem misisset, ut indolem illius inspiceret, ac paedagogus diceret: pater ad te, o Socrates, misit filium, ut eum videres; tum Socrates: *Loquere igitur*, inquit, *adolescens*, *ut te videam.*

51. Antimachus poëta cum convocatis auditoribus legeret eis volumen suum, et eum legentem omnes praeter Platonem, reliquissent: *Legam*, inquit, *nihilominus; Plato enim mihi unus instar est omnium.*

52. Duo milites proxime regium tabernaculum male de Antigono loquebantur. Rex omnia audierat, cum inter dicentes et audientem nihil nisi palla interesset, quam ille leniter commovit, et *longius saltem*, inquit, *discedite*, *ne vos rex audiat.*

53. Biantis, sapientis illius patriam Prienen cum cepisset hostis, ceterique ita fugerent, ut multa de rebus secum asportarent; cum esset admonitus a quodam, ut idem ipse faceret: *Ego vero*, inquit, *facio; nam omnia mea mecum porto.*

54. Aristippus cum aliquando Dionysium implorasset amici causa, nec ille preces admisisset, prostratus coepit amplecti pedes regis, et rem impetravit. Id factum cum quidam velut abjectius, quam quod philosophum deceret,

reprehenderent: *Non ego*, inquit, *in culpa sum, sed Dionysius, qui aures habet in pedibus.*

55. Rumor incerto auctore obortus erat de morte Alexandri; moxque oratores prosiluerunt, hortantes, ne cunctarentur Athenienses, sed illico bellum susciperent. Phocion expectare jussit, donec certius aliquid cognosceretur. *Nam si*, inquit, *hodie mortuus est, et cras et perendie mortuus erit.*

56. Lacedaemone cum tyrannus coenavisset Dionysius, negavit se jure illo nigro, quod coenae caput erat, delectatum. Tum is, qui illa coxerat; *Minime* inquit, *mirum; condimenta enim defuerunt.* Quae tandem? inquit ille. *Labor in venatu, sudor, cursus ad Eurotum, fames, sitis. His enim rebus Lacedaemoniorum epulae condiuntur.*

57. Alexander, Philippi filius, centum talenta dono misit Phocioni. Oblati muneris magnitudine nihil motus Phocion, eos, qui pecuniam attulerant, percontatus est, cur sibi uni inter tot Athenienses dona mitteret Alexander? Quibus respondentibus: Eum unum Alexandro videri honestum et bonum. *Ergo sinat*, inquit ille, *me talem et haberi et esse.*

58. Socrates cum videret, Alcibiadem ob divitias elatum animum gerere, et agrorum multitudine superbire, adduxit ad locum, ubi tabula, descriptionem terrae complectens, suspensa erat, cumque rogavit, ut Atticam terram ibi requireret. Quam cum reperisset, suos fundos eum jussit

inquirere, et cum respondisset, nusquam ibi pictos esse; *horum igitur*, inquit, *possessione te effers, qui nulla pars sunt terrae.*

59. Simonides poëta, fretus ea, quae ipsi cum Themistocle erat, familiaritate, petiit ab eo aliquid injusti. Quod negans Themistocles, dixit ei: *Neque tu, o Simonides, bonus poëta fueris, si carmina contra poeticae artis leges condideris; neque ego bonus magistratus, si quid contra patriae leges tua causa fecerim.*

60. Taxiles, unus e regibus Indiae, occurrens Alexandro sic eum allocutus est: *Provoco te non ad pugnam, neque ad bellum, sed aliud certaminis genus: si inferior es, a nobis accipe beneficium; sin superior, nobis benefacito.* Cui Alexander: *Atqui*, inquit, *de hoc ipso nobis certandum est, uter benefaciendo superet alterum.* Et humanissime complexus illum, non solum non privavit regno, sed auxit etiam.

61. Nasica cum ad poëtam Ennium venisset, eique ab ostio quaerenti Ennium ancilla dixisset, domi non esse: Nasica sensit, illam domini jussu dixisse, et illum intus esse. Paucis post diebus cum ad Nasicam venisset Ennius, et eum a janua quaereret, exclamat Nasica, se domi non esse. Tum Ennius: quid? ego non cognosco vocem, inquit, tuam? Hic Nasica: *Homo es impudens. Ego cum te quaererem, ancillae tuae credidi, te domi non esse, tu mihi non credis ipsi?*

62. Agis, Lacedaemoniorum rex ultimus ex insidiis captus, et indicta causa ab ephoris dam-

natus, cum ad laqueum abduceretur, conspiceretque quendam ex ministris flentem: *Desine*, inquit, *meam sortem flere; nam tam inique, et contra leges moriens, superior feliciorque sum iis, qui mihi vitam eripi jubent.*

63. Patria pulsus a Dionysio tyranno, Dion Megaram petierat. Ubi cum Theodorum, principem ejus urbis domi convenire vellet, neque admitteretur, multum diuque ante fores retentus, comiti suo: *Patienter hoc ferendum est*, ait; *forsitan enim et nos, cum in gradu dignitatis nostrae essemus, aliquid tale fecimus.*

64. Cum coram Agide, Lacedaemoniorum rege, laudarentur Elei, quod in Olympicis certaminibus justi judices essent: *Quid vero praeclari faciunt*, inquit, *si toto quinquennio per unicum diem justi sunt?*

65. Imperator Marcus Aurelius in sapientiae studia incumbebat apud Sextum philosophum, ad ejus aedes propterea ventitans. E regia aliquando egredientem rogavit Lucius philosophus, qui modo Romam venerat, quo pergeret, et ad quod negotium? Tum Marcus: *Discere*, inquit, *etiam seni decorum est. Itaque ad Sextum Philosophum eo, ut discam, quae nondum scio.*

66. Anaxagoras, Clazomenius, non modo generis nobilitate et opibus, verum etiam animi magnitudine clarus fuit. Is ut rerum naturalium maximeque coelestium contemplationi totum se traderet, universum patrimonium suis sponte

concessit, et Athenas, omnium doctrinarum inventrices et cultrices petiit. Cuidam autem querenti, quod nulla esset ei cura patriae, quam relinqueret: *Mihi vero*, inquit, digitum in coelum intendens, *patriae cura, et quidem summa est.*

67. *Diis acceptum refero*, inquit imperator M. Antoninus, *quod bonos praeceptores habuerim, quod illos mature evexerim ad honores, quos expetere videbantur, quod mihi quoque copia fuerit magistrorum, qui ad educandos liberos meos essent idonei.* — Tantum autem honoris magistris suis detulit, ut imagines eorum aureas in larario haberet, ac sepulcra eorum floribus et hostiis semper honoraret.

68. Viguit plurimum apud Lacedaemonios disciplina militaris. Itaque cum in acie quidam Laco strictum ensem jam esset hosti in pectus infixurus, audito signo receptui, non infixit. Interrogatus deinde, cur hostem, quem in potestate habuisset, non occidisset: *Quoniam*, inquit, *melius est, parere imperatori, quam hostem occidere.*

69. Quo tempore Thebis obses fuerat Philippus, eum Philo, Thebanus, hospitio exceperat, et multis beneficiis affecerat. Is quum postea a Philippo, rerum potito, nihil vicissim muneris accipere vellet: *Oro* inquit, Philippus *ne me hac gloria privari velis, quam maxime quaero, ut a nemine beneficiis et gratia victus reperiar.*

70. Legem tulerat Saturninus, tribunus plebis, ut senatus in concione juraret, se quid-

quid populus jussisset, comprobaturum, neque ullo modo impugnaturum. Hanc legem, quia Metellus censebat, esse et senatus auctoritate indignam et reipublicae perniciosam, palam dixit, se nunquam in eam juraturum: et tanti viri gravitate motus senatus e foro domum discessit.

Post paucos dies, cum Saturninus vocatos ad Rostra Patres minando compelleret ad praestandum jusjurandum: Marius, sextum consul, juravit primus, eumque populus plausu et latis acclamationibus excepit. Senatores deinde omnes, suo quisque ordine, populi metu jurarunt, donec ad Metellum ventum est, qui, quamvis orantibus, et obsecrantibus amicis, ut juraret, ne gravissimas poenas subiret, quae essent a Saturnino propositae, tamen nihil de animi fortitudine remisit, sed moribus suis serviens, et acerbissima potius quaeque perpeti paratus, quam quidquam turpe facere, discessit a concione: tumque, deducentibus eum domum amicis, dixit: *Aliquid sceleris admittere improbum est: bene agere, ubi nullum periculum, vulgare: proprium vero viri boni, etiam cum periculo sequi, quod rectum est.*

Dritte Abtheilung.

Gespräche.

1. Vergessenheit der nothwendigen Dinge.

A. Audisne signum Christophore, quo in scholam vocamur? C. Audio, ut iterum obtundat aures meas. A. Agedum, indue te pallio tuo. C. En adsum, iturus tecum. A. Contexuisti pensum, quod a nobis hodie requiret Magister? C. Contexui, et descriptum mecum fero. A. Paratusne ad scribendum es? C. Scribam tuo calamo. A. Habeo tantum unicum. C. O me obliviosum, qui non solum pennam, sed etiam chartam oblitus sum. A. Bono esto animo: chartam tibi commodabo; nec deerit, qui commodet calamum. C. Agnosco amorem tuum, Andrea, grato animo. A. Sed cave, ne posthac quidquam rerum tuarum obliviscaris. C. Cavebo.

2. Das unnütze Schwätzen in der Schule.

P. Quid garris, garrule? quid ineptis, inepte? N. Quid ad te? P. Permultum; nam me impedis. N. Hui, diligentiam hujus pueri! P. Hui, negligentiam hujus garruli! N. Utor lingua, quam mihi Deus dedit. P. Num ad garrulitatem? minime, vehementer erras, nec

uteris lingua, sed abuteris: interrogante Magistro linguae usum exerce: abusum inter lectiones sepone. N. Non male judicas, fateor: os infrene mihi est. P. Injice ergo frenum ori tuo: inprimis cum Deo sit reddenda ratio de unoquoque verbo, non solum turpi sed etiam inepto et otioso seu inutili.

3. Die böse Gesellschaft.

P. Cedo, Nicolae, qua super re Magister concionem heri instituit? N. Monuit discipulos de fugiendis pravis sodalibus. P. Tu vero salutaribus adeo consiliis satis negligenter obtemperas. N. Cur dicto non sim audiens? P. Cum suspectis versaris ut plurimum. N. Quibuscum? P. Nosti Cajum vicinum tuum? N. Quasi me ipsum. P. Metuo, ne illius contagione depravaris. N. Quid ita vero. P. Cajus pessime audit per scholas et viciniam suam. Narra, cur te frequentius conveniat? N. Blande se insinuat: ad campos subinde et ad lusus invitat: pecunia me callide emungit: verbis hinc inde impudicis utitur. P. Heu pestem! sile! quin tu illum continuo a te abigis? N. Certe id faciam. Habeo gratias, quod me tam fidenter et familiariter monueris.

4. Der Gehorsam.

P. Tres sunt virtutes, quae prae reliquis, ut audivi, ornant juvenem. Nostine eas, Nicolae? N. Non novi eas, scire tamen velim. P. Prima

est obedientia. N. Hanc bene novi. P. Fortasse de nomine tantum. N. Quidnam praestat obedientia? P. Frangit animi pertinaciam et pueros reddit in omnibus morigeros. N. O praeclaram virtutem, meoque fratri, parum obsequenti, admodum necessariam. P. Adde et mihi ipsi. N. Cur non potius, utrique nostrum? invocabimus Deum, ut nobis largiatur animum obsequentem. P. Bene mones. Obedientiam felicitatis matrem magno semper in pretio habeamus.

5. Die Liebe zur Wahrheit.

N. Quaenam est secunda virtus, pueros prae reliquis ornans? P. Amor veri. N. Quid efficit ille? P. Arcet mentiendi proclivitatem, mentemque reddit serenam ac sinceram. N. Studebimus huic virtuti: audivimus enim: mendacium esse ex diabolo. P. Recte meministi: nam diabolus est spiritus mendacissimus et pater mendaciorum. N. O quam multos filios habet hic pater? P. Non nego nec possum negare, quia reclamat experientia, testis hujus rei locuples. N. Vitabimus hoc vitium, ut etiam ejus auctorem, Satanam, vitemus. P. Sed cave, mi Nicolae, ne mentiaris hac tua promissione. N. Non mentiar, memor illius sacri dicti: Os, quod mentitur, occidit animam.

6. Der Fleiß.

P. Restat tertia virtus ex iis, quarum studium pueris commendatissimum esse debet. N. Hanc

facile conjectura assequor. P. Ergo conjecta. N. Nonne est diligentia? P. Est, rem acu tetigisti. N. Nec mirum est, quia ego sum diligens. P. Sed propria laus sordet. N. Ergone mentiar et discedam a commendato amore veri? P. Nequaquam. N. Mendax tamen essem, si dicerem, me ignavum esse. P. Aliud est ignaviam suam allegare, aliud diligentiam jactare. N. Non sum jactator sed tantum testis diligentiae meae. P. An nescis, testem non valere in causa propria?

7. Kälte und Feuer.

V. Cur non scribis Hermanne? H. Digiti rigent frigore, nec est ignis in fornace, unde Museum calescat. V. Age, excitabimus ignem folle. H. Follis adest, sed lignum deest. V. Ecce lignum! hic est. H. Novi, sed est humidum; arido opus est. V. Cur non sufficit húmidum? H. Quia igni admotum nil nisi fumum producit; fumus vero infestat oculos; quominus scribere possimus. V. Citabimus ergo famulum, ut et lignum afferat aridum, et excitet ignem, quo melius scribere possimus, neque tempus nobis transeat in otio.

8. Danksagung.

M. Ecce reddo tibi commodatum librum, et gratias ago mirificas. F. Nihil est, quod agas. Sed tu satisne illo usus eras? M. Satis diu usum concessisti, quae tua est humanitas. F. Quoties

opus erit, quaeso, ne parcas rebus meis. M. Non parcam, quando ita jubes. F. Pergratum mihi feceris. M. Amplissimas habeo gratias: tu vero nostris vicissim utere, si quid opus fuerit. F. Noli monere: satis mea sponte sum impudens. M. Imo verecundus nimis. F. Esto; aliquando tamen senties. M. Ita velim: bene vale. F. Te servet Deus.

9. Zurückkunft von einer Reise.

M. Quid ita festivus incedis, Francisce? F. Quia longinqua e peregrinatione rediit pater. M. Ain' tu, unde venit? F. Vienna. M. Jamne salutasti? F. salutavi, cum ex equo descenderet. M. Quid amplius ei praestitisti? F. Calcaria detraxi et ocreas. M. Miror, te non mansisse domi. F. Nec ille permisisset, nec ego vellem, praesertim nunc, cum schola frequentanda est. M. Bene tibi consulis, qui temporis rationem habeas. Sed quid pater? valetne? F. Recte Dei beneficio. M. Equidem gaudeo plurimum tua et ejus causa, quod salvus peregre redierit.

10. Der Trost.

F. Subtristis mihi videris Michael: quid rei est? M. Dies noctesque de fratre absente cogito, et ob eam rem interim moerore conficior. F. Quam pridem abest? M. Quatuor abhinc menses. F. Nihil ad vos interea litterarum dedit? M. Ex quo discessit, ne verbulo quidem nos appellavit.

F. Litterae forsan intercíderint, vel interceptae fuerint. Absterge curas: confido fratrem tuum salvum esse. M. Verisimile est, quod ais: neque tamen meus allevatur dolor. F. Sed cur inutili dolore maceraris? quid enim sunt quatuor menses? Igitur fratris desiderium tantillo tempore ferre non queas? M. Ferrem aequo animo, modo illi bene esse intelligerem. F. Rem Deo committe: ipsi cura est de fratre. Pro ejus salute potius Deo supplica. M. Faciam: omnis enim moeror fratrem non reducet.

11. Der Diebstahl und die Lüge.

F. Unde accepisti istum scalprum litterarium, Christiane? C. Inveni eum in platea. F. Quando? C. Nudius tertius, cum ex schola venirem. F. Sed ego illum heri adhuc vidi in manibus condiscipuli nostri Paracelsi. C. Ille eum fortasse amisit. F. Mendacem oportet esse memorem. C. Cur me vocas mendacem? F. Tu non solum es mendax, sed etiam fur. C. Quid abstuli? F. Scalprum litterarium. C. Id vix probabis. F. Jam satis probavi: imo tu ipse probasti, vel potius fassus es. C. Quibus verbis? F. Credisne, me heri vidisse adhuc scalprum litterarium in manibus Paracelsi? C. Id non negabo. F. Quando vero tu id in platea invenisti? C. Ante tres dies. F. Ecce mendacem sui immemorem, qui potest aliquid ante invenire, quam amissum est. C. Fateor furtum et mendacium. F. Sane pudeat

te utriusque, inprimis mendacii, quod a te turpissime iteratum est. C. Crede mihi, non solum facti me pudet, sed etiam poenitet atque piget. F. Utinam serio.

12. Undankbarkeit.

T. Unde accepisti novum illum librum Antoni? A. Ab avunculo meo. T. Num ipsi gratias egisti? A. Oblitus sum, nec opus fuit gratiarum actione. Non enim postulavit, eam avunculus. T. O ingratum hominem, qui non vult gratias agere nisi exactas! Fuitne tibi gratus ille liber? A. Fuit omnino et adhuc est. T. Vide impudentiam tuam: liber est gratus tibi, tu vero es ingratus erga ejus datorem. A. Agnosco errorem meum. T. Sed ita illum agnoscas oportet, ut emendetur.

13. Liebe zu den Eltern.

A. Pater tuus, ut audivi, rediit Parisiis. C. Rediit sane. A. Quando? C. Die lunae, vesperi. A. Annon tibi adventus ejus molestus fuit? C. Quid molestus? imo vero jucundissimus. Sed cur illud rogas? A. Quia fortasse illo absente tibi potestas est, liberius vivendi. C. Nescio, quam mihi libertatem narres. A. Ludendi et cursitandi. C. An ergo putas, me aliter vivere absente patre quam eo praesente? Ludo, cum tempus vacat; non discurro, sed cum bona matris venia in publicum prodeo, cum aliquid habeo

negotii. A. Etiamne matri tantopere subditus es? C. Aeque ac patri. Quid enim putas? Nonne de utroque aequale est Dei praeceptum? *Honora*, inquit, *patrem et matrem*. A. Novi ego ista, et quae dixisti, placent mihi omnia. C. Cur ergo mihi repugnabas? Ut nobis arcesserem sermonis materiam. Sed audi horologium. C. Opportune nos admonet. Discedamus igitur. A. Vale et me amare perge.

14. Die rechte Art zu lernen.

I. Video, me a te longe superari doctrinae laude: dic igitur mihi, quam viam ingredi debeam, ut doctior fiam. N. Non equidem me ea laude, quam mihi impertiris, dignum esse credo: attamen, quid sentiam, tibi dicam. Omnis homo, cujus interest multa discere, debet tria observare. I. Quaenam ea sunt? N. Primum se debet praeparare ad ea, quae in schola tradentur, ut deinde illa, quando tradantur, eo melius intelligat: deinde debet ad singula verba magistri diligenter attendere: denique domi, quaecunque audivit, saepius repetere. I. Quid est diligenter attendere? N. Ita attendere, ut accerrimo studio summaque cupiditate flagres, singula audiendi et memoriae mandandi. I. An potes omnia comprehendere memoria? N. Non: propterea multa, quae magister tradit, chartae trado, ac deinde domi, quae notavi, saepius perlego: sic memoriae meae egregie consulo. I. Sequar exemplum tuum.

15.

15. Wiederholung der Lection.

A. Cur non repetis ea, quae hodie in schola didicisti? C. Mire loqueris, qui velis, me ea repetere, quae didicerim. A. Cur? C. Quid opus est repetitione eorum, quae jam scio. A. Erras: aliud est didicisse nonnulla, aliud ea ita tenere memoria, ut semper eorum memineris. C. Ego nihil obliviscor. A. Erras: noli memoriae tuae nimis confidere. Multi eruditissimorum hominum professi sunt, se multa, quae olim didicissent, oblitos esse, quia eorum omisissent repetitionem. C. Sed mea memoria est praeclara: novi eam plane. A. Nemo est tam felici ingenio, qui non multa obliviscatur. Hinc omnis sanus diligenter ac saepe repetere solet, quae didicit aut legit.

16. Von dem nämlichen Inhalte.

B. Cur tam tristis incedis, Christiane? D. Indignor, imo mihi ipse irascor. B. Quam ob rem? D. Pudet me, tibi causam fateri. B. Quaenam est? dic aperte, prout nostra amicitia postulat. D. Pater meus hodie in coena, praesente avunculo meo interrogabat me de aliqua re: nec poteram respondere? B. Bono sis animo: quis ad omnes quaestiones respondere potest? forsan tu istam rem nunquam audiveras aut didiceras. D. Scio, me illam didicisse: sed mihi in mentem non veniebat, licet omnes mentis vires intendissem: nec nunc succurrit. B. Vides ergo,

quam nuper erraris, cum diceres, memoriam tuam esse praeclaram, nec quidquam oblivisci. D. Video: et me nunc impudentiae meae valde poenitet. In posterum omnia, quae audivi ac didici, repetam, ne iterum tacere cogar interrogatus a patre.

17. Die Reichthümer.

M. An nihil audivisti de malo, quod superiori nocte experti sumus? N. Nihil: quidnam vobis accidit? M. Fures, genus hominum improbissimum, nobis omnem supellectilem abstulerunt, et nostras aedes totas fere vacuas reddiderunt. N. Doleo vehementer. M. Pater confirmavit, omnem suam pecuniam simul ablatam esse. M. Hinc vides, quam incertae sint omnes divitiae, et quam miser sit homo iis solis confidens. Virtus et doctrina sunt certiores divitiae, quas nullus fur auferre potest. An nostis, quinam isti fures fuerint? M. Non: nam, si hoc sciremus, res ereptae facile nobis restituerentur. N. Opto, ut damnum istud vobis alio modo sarciatur.

18. Scherzhaftes Gespräch.

A. Salve, mi Mauriti. M. Gratias ago, mi Andrea. Quid adfers? A. Me ipsum. M. Sic rem haud magni pretii huc attulisti. A. Atqui magno constiti patri meo. M. Credo pluris, quam quisquam te taxaret. A. Sed Rudolphus estne domi? M. Nescio. Pulsa fores ejus, et

videbis. A. Heus! Rudolphe, num es domi? R. Non sum. A. Impudens! non ego audio te loquentem? R. Imo tu es impudens. Nuper ancillae vestrae credidi, te non esse domi, cum tamen esses; et tu non credis mihi ipsi. A. Aequum dicis; par pari retulisti. R. Equidem ut non omnibus dormio, ita non omnibus sum domi. Nunc vero adsum. A. Sed tu mihi videris cochleae vitam agere. R. Qui sic? Quia perpetuo domi latitas, nec unquam prorepis. R. Foris nihil est negotii. A. At serenum coelum nunc invitat ad deambulandum. R. Verum est. Si igitur deambulare lubet, per horulam te comitabor; nam toto hoc mense pedem porta non extuli. Vocabo Mauritium, ut una nobiscum eat. A. Placet. Sic enim jucundior erit deambulatio.

19. Bewahrung der Gesundheit.

I. Quid facis, Arnolde? Cave tibi, obsecro. A. Quid mihi cavebo? I. Ne in morbum incidas tua ipsius culpa. A. Qua ex causa? I. Ex nimia lusus intemperantia. A. Unde apparet periculum? I. Quia totus aestuas, totus sudore mades. A. Recte et in tempore admones; profecto non sentiebam. I. Desiste, si me audis. A. Libentissime tibi morem gero. Quis enim respuat tam fidele consilium? I. Deterge faciem sudariolo, et vesti te celeriter, ne subitum frigus contrahas. Omnis enim subita mutatio periculosa est. A. Habeo tibi gratias, Josephe; nam vere morbis sum

obnoxius. I. Tanto magis debes cavere. A. Istud probe novi, et parens uterque me monet saepissime. Sed quid agam? Natura proni sumus in nostram perniciem. I. O mi Arnolde, non est voluptati serviendum, sed temperantia valetudini consulendum. Jam satis indutus es. Nunc suadeo, ut domum redeas. A. Vale, mi Josephe, monitor amicissime!

20. Versäumte Schulstunden.

I. Hodie demum rure revertisti? T. Hodie, idque paulo ante prandium. I. Atqui dixeras, te futurum illic modo biduum. T. Ita sperabam fore, et pater sic praedixerat. I. Quid igitur obstitit, quominus redieris citius? T. Mater me detinuit. I. Sed cur te tam diu remorata est? T. Ut se comitarer redeuntem. I. Quid vero agebas interea? T. Colligebam fructus cum rusticis nostris. I. Quos fructus? T. Quasi ignoti tibi sint fructus serotini, pira, mala, juglandes, castaneae. I. Jucundum sane negotium. Sed interim quinque aut sex praelectionum fructus tibi periit. T. Hoc valde doleo; sed enitar pro viribus, ut damnum quodammodo resarciam. I. Quid facies? T. Describam omnia quam diligentissime. I. Sed non omnia satis intelliges. T. Tum tu mihi aderis, et mecum praeceptoris explicationem communicabis. I. Quantum praestitisset ipsum audire magistrum. T. Multo sane praestiterat; sed cum id mihi non contigerit, nec mea culpa

factum sit, non habeo, quod me accusem. K. Recte dicis. Sed ecce! vocamur ad coenam. T. Intremus igitur.

21. Theilnehmende Freundschaft.

L. Quid hic solus cogitas? amice! W. Deploro miseriam meam. L. Quaenam te affligit miseria? W. Ecce! in altiorem ascendi classem, nec est mihi pecunia ad libros emendos. L. Non dat tibi pater? W. Dat quidem interdum, sed parce nimis. L. Est igitur avarus? W. Non sequitur. L. Quid igitur impedit, quo minus tibi pecuniam suppeditet? W. Paupertas. Praeterea, cum peto, miratur, tot nobis opus esse libris. L. Nihil mirum, praesertim cum sit pauper. Sed esto bono animo, nec te afflictes, quaeso. Dabo operam, ut meus pater te juvet. Is enim libenter largitur pauperibus, praesertim iis, quos novit bonarum litterarum studiosos esse. W. O me felicem, tua opera si me Deus adjuverit. L. Nullus dubito, quin hoc facturus sit. W. Gratias tibi habeo maximas, qui mihi animum reddideris, et ultro mihi tantum offeras beneficium. Quotus enim quisque hoc faciat? L. Vale interim, mi Wilhelme, ego statim adibo patrem.

22. Das Allmosen.

F. Mendicus foris est, mi pater. P. An nosti hominem? F. Senex ille Nicolaus est, ni fallor. Incurvus incedit, barba promissa et cana. P. Cape

hos nummos, et da ipsi: simul roga, quot annos natus sit? F. Centum et decem annos se natum esse dicit. P. Rarissima senectus! F. Mulier mendicans ante fores est. P. Da ipsi panis frustum et caseum. F. Plures video mendicos accedere. Adest senex perticis ligneis incedens, itemque miles pede ligneo. Hic sine dubio in bello alterum pedem amisit, ejusque loco ligneum sibi faciendum curavit. P. Hi certe digni sunt, qui beneficio afficiantur, cum tristissimo quodam fato huc redacti sint, ut suo labore victum amplius quaerere non possint. Elargiri libenter ac liberaliter egentibus Deus jussit.

23. Der Reisende.

F. Salve, mi Eugeni. E. Et tu salve mi Ferdinande. F. Quomodo vales ex tam diuturno itinere? Nam audio, te rediisse nuper in patriam. E. Ita est. Non poteram a parentibus et amicis abesse diutius. F. Bene fecisti. Vehementer gaudeo, te rediisse incolumem. Ubinam fuisti tot annis? quas terras interim peragrasti? E. Angliam, Galliam et potissimum Italiam. F. Quas urbes in Italia vidisti? E. Prae ceteris commoratus sum Genuae, Florentiae, Venetiis, Neapoli, maxime Romae, quae olim caput orbis terrarum dicta est. Roma relicta, transii Bononiam, Patavium, Mediolanum, sed in singulis tantum aliquot menses versatus sum. F. Quid novi autem vidisti in tot celeberrimis oppidis? E. Fere omnia mihi

nova videbantur. Sed in praesentia nimis longum foret, tibi omnia narrare. F. Dic saltem, quomodo hic offenderis omnia. E. Mutata omnia. Quam repente tempus res mutat humanas. Vix decennium abfueram, et non secus omnia admirabar, quam Epimenides, somniatorum princeps, expergefactus.

24. Fortsetzung.

F. Quaenam ista est fabula? E. Fabulantur historici de Epimenide quodam Cretensi, qui deambulandi gratia solus urbe egressus, cum subita pluvia compellente in quandam speluncam ingressus obdormisset, quadraginta septem perpetuos annos somnum continuarit. F. Quid narras? Isthoc est mentiri. Sed perge, quaeso. E. Epimenides igitur somno solutus e spelunca prodit, circumspicit, mutata videt omnia: silvas flumina, ripas, arbores, agros, breviter, nihil non novum. Accedit ad urbem, percontatur, manet illic aliquamdiu, neque novit quemquam, neque a quoquam agnoscitur. Alius hominum cultus, mutatus sermo, diversi mores. Nec miror hoc Epimenidi post tantum annorum spatium evenisse; cum mihi idem propemodum evenerit, qui paucul os annos abfuissem. F. Jam nolo te detinere diutius. Alio tempore multa mihi narrabis. Vale igitur, Eugeni carissime. E. Et tu vale quam optime.

Vierte Abtheilung.

Fabeln.

1. Der Krebs und sein Sohn.

Ut prorsus iret, filium retrogradum cancer monebat; at filius: I prae, sequar. Cuiquam ne objicias, quod tibi objici potest.

2. Der Hund und die zwey Haasen.

Unum insecutus est in campo leporem canis, videt alterum; et eum similiter studet insequi: sed dum utrumque capere vult, neutrum capit. Sibi ipsa semper aviditas nimia officit.

3. Das kranke Pferd und der Hund.

Equus aegrotabat: mandere assuetus canis projecta cadavera, adiit hunc, et quaesivit, quomodo se haberet: Melius, inquit, quam velis. Fabula ad avarum spectat heredum genus.

4. Der Vogelfänger, die Ringeltaube und die Schlange.

Dolum palumbo incautus auceps dum struit, premit anguem, cujus dente violatus perit. Malum jure feres, quod parabis alteri.

5. Die Eidechse und die Schildkröte.

Tui me miseret, ajebat lacerta testudini; quae, quocunque libeat vadere, tuam ipsa tecum ferre cogaris domum. Quod utile, inquit illa, non grave est onus.

6. Der Fuchs und der Hund.

Vulpis rapuerat gallum gallinaceum, voraveratque. At hanc recenti sanguine adhuc madentem fortis occupat canis, crebroque dente membra discerpens vorat. Ab alio exspectes, alteri quod feceris.

7. Der Knabe und das Glück.

Ad oram putei dormiebat puerulus. Eum fortuna suscitans: Abi hinc, ait; in puteum enim si caderes, non hanc tuam fuisse culpam, sed meam omnes dicerent.

8. Die Henne, welche goldene Eyer legt.

Habebat aliquis gallinam ova parientem aurea; homo meus hanc auro plenam ratus caedit, aliisque gallinis similem invenit. Quod lucrum homines habent in manibus, hoc saepius amittunt cupiditate habendi plura.

9. Der Weihe und der Landmann.

Columbam dum persequitur, in laqueum incidit milvus; et ipsum dedere cum vellet neci

agricola: parce, non enim te laesi, ait. At ille: Neque te, opinor, illa laeserat. Mortem innocenti qui parat, jure hanc subit.

10. Die Rose und der Amarant.

Quis non coloris nostri puniceum decus, quis non odoris suaves delicias amat? dixit Amaranto, sibi placens nimium, rosa. Amarantus autem: Nil, ait, mihi quidem contingit horum simile; sed vivo diu.

11. Der Fischer und das Fischchen.

Piscator in aquas cum jecisset hamulum pisciculum eduxit. Orat ille, et obsecrat, ut sese abire sinat: Crescam, ait, interea; cumque factus grandior fuero, majore tunc me recipies lucro. Piscator autem: Tu tamen in sartaginem mitteris, inquit: pretio enim spem non emo.

12. Das fette Schwein.

Forte in culinam sus se opima contulit, ibique pernas, larda, botulos dum videt, haec sunt suilla, inquit, et abiit gemens. Placere nulla conditio felix potest, cujus odiosus praevidetur exitus.

13. Das Wachs und der Ziegelstein.

Cera invidebat lateri duritiem suam. Cum comperisset, eam comparari ab ignium violentia, se ipsa in ignes dejicit; at misera penitus liquitur et consumitur. Quod uni prodest, id saepe nocet alteri.

14. Die Bäume.

Rectae et procerae contemnebant arbores unam inter se, quod torta et humilis esset. Lignarius autem faber cum venisset huc, caeduntur omnes illae; at haec relinquitur. Minimi fuisse pretii multis profuit.

15. Der Käse und die Katze.

In cella opimum cum posuisset caseum rusticus, inesse murem, qui corroderet, advertit: ideo misit huc felem. At simul captum illa murem, caseumque devorat. Ad vindicanda damna si improbos legas, plerumque gravius hi tibi damnum dabunt.

16. Der Gemüsgärtner und der Zaun.

Cur ista sepes sterilis terram occupat? quin evello, spatiumque olusculis amplifico? dixit, incipitque evellere, hortumque furibus omnem pervium facit. Prudentia nimis anxia aliquando malum arcessit ingens, damnum ut avertat leve.

17. Der Fisch.

Piscis, qui missus est in sartaginem bene calefactam, resilit, ut se liberet furente calore; at miser in ipsas decidit prunas: sic ergo assus periit, ne pereat frictus. Quem pertinacis ira fortunae premit, mutat aliquando, nec tamen vitat malum.

18. Die Aal und die Wasserschlange.

Anguilla dixit angui: Cur nostrum genus homines quotidie prendunt, deglubunt, edunt, dum vos refugiunt, ac timent attingere? respondit anguis. Hi sciunt videlicet, prodesse nos nihil, et nocere plurimum. Improbitas ipsa saepe tuetur improbos.

19. Das Schwein und die Bienen.

Apicula laeserat teneram suis cutem. Iratus hic, tantulaeque tam levem punire volucris punctiunculam volens, aggreditur ipsum disjicere apiarium, quassatque rostro: totum at examen ruit, et fugat hostem mille aculeis punctum. Qui vindicare injurias quaerit leves, ille sibi plérumque graviores suscitat.

20. Der erzürnte Löwe.

Dum quaerit olim leo iratus elapsum alium leonem, quem mactet odio furens, in puteum offendit: inspicit, suam videt pictam in liquore imaginem. Credit, adesse hunc hostem, quem quaerit; irruit et perit. Saepe furiosi plus sibi, quam aliis, nocent.

21. Der Hahn und die Schnecke.

Ad culmen excelsae arboris dum nititur gallus se tollere volitando, nec potest; huc pervenisse cochleam attonitus videt. Efficere id autem quonam licuerit modo pennis carenti, scire cupit et

rogat. Quid tum, inquit illa, si volare nescio: ad rependi artem calleo magis utilem.

22. Der Kohlenbrenner und der Bleicher.

Fullonem cum rogaret carbonarius, ut una secum habitare vellet domum, quam conduxerat; ille respondit: Quod rogas, non expedit; nitida enim quae redderem, carbonibus ea tu mihi inficeres tuis. Male sociantur, quae natura discrepant.

23. Der Fuchs und die Brombeerstaude.

Agitata vulpis cum periculo in rubum densum asperumque se conjecit, et canes elusit. Cum pungeretur sentibus, etiamne, dixit, qui me servant, sauciant? At saucient, dum servent: nam didici malum ferendum esse leve, ut evitetur maximum.

24. Der Fischer und der Thaunfisch.

Piscator olim, qui totam consumserat diem multo labore, nihilque ceperat, litus repetebat tristis, cum subito in scapham thunnus insilit, dum fugit hostem. Quem capiens: longus efficere, inquit, quod labor non potuit, id fortuna quam cito efficit!

25. Der Floh und der Stier.

In cornu tauri parvulus quondam culex consedit; seque, dixit, avolaturum illico, si mole sua cum gravaret. At ille, nec te considentem

senseram. Dictum sit illis, qui se, cum sint futiles, putant esse viros magni ponderis.

26. Der Affe und die Nuß.

Adhuc virenti cortice obductam nucem cum reperisset simia, ipsam mordicus decorticare coepit; et gravis quidem hujus corticis amaritudo est, inquit, at nucleus tanto dulcior mihi accidet.

27. Der Mandelbaum und der Birnbaum.

Cum amygdala videret se innumeris opertam esse floribus, sibi plaudebat, et pyrum spernebat, ut quae germina vix protruderet. Sed fraudulenta qui recesserat fuga, aquilo revertitur, flores hujus abstulit, simulque omnem spem fructum disperdidit. Tenera monentur ingenia, ne properent florescere, ad frugem pervenire si velint.

28. Der Bär und der Fuchs.

Quod mortua ursus corpora nulla manderet, humanitatem idcircó jactabat suam: at vulpis: imo vis, ait, humanus mihi videri? mande mortua, vivis abstine. Neminem inquinat tam facinorosa vita, ut non existimet, se aliqua laude dignum esse.

29. Die Mücken.

Effusa mellis copia est: muscae advolant, pascuntur. At mox impeditis cruribus revolare nequeunt. Heu! miseram, inquiunt, vicem: cibus iste blandus, qui pellexit suaviter, nunc fraudu-

lentus quam crudeliter necat! Perfida voluptas hac fabula depingitur.

30. Der Ochs und das Kalb.

Arantem vitula pinguis adspiciens bovem, eum contemsit prae se, quae nihil ageret. Sed sacrificii mox ut advenit dies, bovem reservat rusticus, vitulam immolat. Quod cum videret: Heus, amica, bos ait, laboravisse nunquam quid te nunc juvat?

31. Das Weib und die Henne.

Gallinam habebat mulier, quae quotide pariebat ovum: bina autem ova pariturам esse, si plus dapis ipsi apponneret, existimans, curare coepit largius. Sed cum gallina mox facta esset pinguior, ovum jam ne unum quidem parere potuit. Luxus hebetat hominum industriam.

32. Der Krebs und der Fuchs.

Cancer olim deseruit mare, cupidus pascendi in littore. Vulpis hunc simul aspicit jejuna, accurrit, et capit praedam. Nae dixit ille, jure plector, qui, salo cum fuerim natus, voluerim solo ingredi! Unicuique suus circumscriptus est locus, quem praeterire sine periculo non licet.

33. Der Geizige und der Schatz.

Thesaurum avarus condiderat humo, quem fur odorans quaerit, invenit et rapit. Ille igitur

huc reversus, ut locum videt vacuum, exsecratur omnibus modis sortem. Tum quidam sapiens: Quid, ait, incassum furis? ubi pondus auri sterile posueras, ibi repone lapidem; tibi tantundem proderit. Tam deest avaro quod habet, quam quod non habet.

34. Das Kameel.

Ut camelus primum visus est, homines perterriti fugerunt; procedente tempore, considerarunt ejus mansuetudinem: qua cognita aliquis ausus est accedere. Sed ubi compertum est, nullam in tanta bellua inesse bilem, sic eam contemtui habuerunt, ut cogerent sequi capistrum, puerisque parvis circumagendam traderent. Fabella ostendit, usu et assuetudine minui timores, sensimque evanescere.

35. Die Schlange und der Maulwurf.

Me caecitatis admodum miseret tuae, serpens inquit talpae; nam vix potes erumpere foras, et aliquantum progredi, quin te salutis offeras periculo. Haec cura, retulit talpa, ne te maceret; raro ambulare cupio; latibulum colo, meisque vitam tutus in tenebris ago. Te vero, qui tam acutum cernere diceris, nullane pericula premunt? Audivi tamen jacere plura gentis vestrae corpora quam nostrae, quae data fuerint acerbae neci.

36. Das Bäumchen und die Eiche.

Laudabat quercus arduae praestantiam arbuscula sub ejus umbra germinans. Meum quidem altum cacumen, inquit quercus, surgit in aethera; dominor in totum nemus: at quo magis praecello arboribus ceteris, tanto facilius venti, grandinis, nivis, fulminisque atroces me petunt injuria. Hac fabula homines commonentur infimi, ne invideant sorti majorum.

37. Der Rabe und die Wölfe.

Lupos secutus est corvus ad multum diem. His praedam potitis officium jactat suum, rogatque, ut sibi tribuant partem aliquam. Respondet unus: Gratum id esset forsitan, si cura nostri te nobis comitem daret; at sola praedae cupiditas huc te impulit, ad quam obtinendam cum nihil operae potueris conferre, merito te vacuum dimittimus.

38. Das Schiff und der Schiffer.

Imposito navis onere cum ingemisceret, nautam rogavit, ipsam ut antennis suis, rudentibus, armamentisque ceteris levaret, sic cursus suus celer et expeditus foret. At ille: O stulta, inquit, quid petis, maxime juvabit id, quod impedimentum putas. Fabella hac quorundam hominum stultitiam notat, qui liberos praestare sese dum volunt, abjiciunt res maxime sibi utiles.

39. Der zu geschwätzige Rabe.

Repererat olim corvus pinguem caseum. Cum debuisset tacitus hac praeda frui, maluit crociendo sua significare gaudia, bonamque sortem avante gutturis sono annuntiare. Corvi ergo plures famelici advolant, ruuntque, rixas vehementes excitant, demumque opimam diripiunt hujus dapem.

40. Der Geitzige und die Dohle.

Furax graculus avaro aliquot nummos surripuit, abditoque reposuit loco. Sed mox cum avarus furtum haberet cognitum, velletque furem comprehensum plectere: Mala bestia, inquit, quis furor te edegit mihi abripere nummos meos? quid tibi prodesse possunt? an putas hos edules esse? Scio, hos non esse edules, respondet graculus: tamen, deceptus exemplo tuo, credidi, eos mihi tantum prodesse posse, quantum tibi.

41. Die Spitzmaus und die gemeine Maus.

Cum cantitare belle sese crederet sorex, acutos ore stridulo sonos ciere solitus, gestiebat et sibi plaudebat: etiam jocans carpebat muris taciturnitatem. At ille: Si saperes, ait, pariter taceres: quo dicto subiit cavum. Mox autem feles inepti soricis stridore admonita supervenit, tacitoque gressu accedens incautum captat. Atque ita suo ille proditus indicio perit. Damnosa stulto semper est loquacitas.

42. Der Hund und der Stier.

Canis parabat pugnam inire cum tauro, et dixit: facile vincam, namque dentibus sum longe fortior. Sed capite prono irruens ille fodit hunc cornibus inopinantem. Fabella te ullo cum hoste congredi vetat, nisi ante noris, qua minus, qua plus valet.

43. Der Floh und der Mensch.

Pulex momordit hominem: at extemplo fuit comprensus. Oro, ut mittere velis, ait, me bestiolam tam minutam, tam levis punctus ream. Sed ille renuit, hostemque enecans: Doceantur, inquit, ceteri similes tui, quam periculosum sit, illos pungere, quorum digitis facile possunt opprimi.

44. Die beyden Hunde und das Schaf.

Duo canes magno furore lacerare sese instant. Ovis, amica pacis et concordiae, studet componere iras et dirimere atrox praelium, etiamque audet interponere os tenerum et imbelle efferatis rictibus: sed nec valet proficere quidquam; et os inde discissum refert praemium inanis operae. Ne se infirmiores potentum rixis ingerant, hac monentur fabula.

45. Der Wanderer und das Irrlicht.

Cum viator in alta noctis caligine inter putres deviae vallis lacus erraret, ignem vidit, quem

fatuum vocant; et praelucere a proxima domo aliqua putans, recipere quo se posset, hunc ducem secutus est. Mox autem praeceps cum suo duce lutulentum in gurgitem devolvitur. Fabella indicat multas faces, quae micant hodie, et fallaciores sunt, ipsis tenebris.

46. Der Rabe und der Schwan.

Corvus quidam, qui sine rivali sese amabat, credidit se pulchriorem esse cycno. Mox itaque ad ipsum propius accedens incipit suas conferre pennas gloriosus, nigerrimamque pulchritudinem suam; ad candorem olorinus inde magis nitet. Dum stulta aemulatio vult deprimere alienam elegentiam, hanc saepe provehit.

47. Die beyden Pflugschaaren.

Vomer jacebat obsitus penetrabili rubigine, ut ea paene adesum diceres. Aliquando, solitos post labores ex agro reductum vomerem alterum, fratrem suum, de massa eadem, opificis ejusdem manu procusum, adspexit et nitentem et splendidum. Unde, quaeso, frater, ait, sic nites? Quod vides in me bonum, respondit hic, id omne mihi exercitatio dedit.

48. Der wohlthätige Feind.

Sceleratus hostis aliquem dum gladio petit, foditque, vomicam aperuit insanabilem, plagamque se fecisse letalem ratus abiit: at ille, subitus

ubi paulum dolor remisit, sensit, intestina se lue levatum; et mox rediit antiquus vigor. Inimica manus saepe plus prodest quam nocet.

49. Der Knabe und die Katze.

Cibos manu tenebat, quos identidem mordebat et minuebat obambulans puer. Odore capta felis illum aequis passibus comitabatur; videbatur simul, gestu corporis oculisque mitibus ipsi blandiri. Credulus puer hunc esse amorem ejus erga se putans, tribuit bonam ciborum partem ut officii praemium. Sed felis vix tenuit ore avidissimo, quod appetebat, abiit, aufugit procul. Tunc ille: Me, inquit, non sequebaris, sed cibos.

50. Die Heuschrecke und die Schwalbe.

Cicada dum replet cuncta raucis sonis, putat, esse bene pautulis omnium auribus; sed garrientis ferre vocem non potest hirundinis, et conviciatur, et vocat nimis loquacem et garrulam praeter modum. Convicium haec sic refellit: Tu mihi loquacitatem et garrulitatem exprobras, quae soles fastidium creare, tua voce stridula hominibus, avibus, pecudibusque per totam diem. Hoc retine memor: objicere stultum est ea, quae ipsemet maxime peccas.

Fünfte Abtheilung.

Erzählungen.

1. Cum tyrannus Hiero quaesivisset de Simonide, quid sit Deus, deliberandi causa sibi unum diem postulavit. Cum idem ex eo postridie quaereret, biduum petivit. Cum saepius duplicaret numerum dierum, admiransque Hiero quaereret, cur ita faceret: Quia, inquit, quanto diutius considero, tanto mihi res videtur obscurior.

2. Platonis magister, Socrates, divites quosdam ad coenam vocaverat, et Xanthippen uxorem pudebat modici apparatus; cui Socrates: Bono esto animo, inquit, nam si homines boni frugique sunt, aequo animo ferent; si mali atque intemperantes, non sunt curandi.

3. Mirabatur Anacharsis, quod Graeci ineunte convivio cyathis parvis uterentur, sed ubi satiati essent, majoribus: judicans, potum adhibendum esse tantum ad sedandam sitim: absurdum igitur esse, tum bibere, cum jam sitis esset sedata.

4. Idem interrogatus, quo pacto quis cavere posset, ne vini potor fieret: Si, inquit, prae oculis habeat ebriorum indecora facta atque dicta. Hinc Lacedaemonii, ut juniores ab ebrietate absterrerent, Helotas multum vini bibere cogebant, atque adeo ebrios in eorum conspectu jubebant venire.

5. Diogenes, vir ingentis animi, se complicuit in dolio, et in eo cubitavit, divitiasque, sicut Democritus, projecit, onus illas existimans, et effecit, ne quid sibi eripi posset. Servus ei unicus fugit, nec eum reducere, cum monstraretur, tanti putavit. Turpe est, inquit, Manen sine Diogene posse vivere, Diogenem sine Mane non posse.

6. Xenocrates, Platonis familiaris, dicere solebat, nihil interesse, pedesne quis, an oculos in alienam domum defigeret: eodem enim modo peccare, tam eum, qui oculos in loca, quo non conveniret, verteret, quam eum, qui, quo non licitum esset, vestigia inferret.

7. Socrates philosophus ultro etiam suasisse fertur discipulis suis, crebro ut semet in speculo contemplarentur; ubi qui eorum foret pulchritudine sibi complacitus, impendio procuraret, ne dignitatem corporis malis moribus dedecoraret; qui vero minus se commendabilem forma putaret, sedulo operam daret, ut virtutis laude turpitudinem tegeret.

8. Apollonis, mater Eumenis regis ac trium praetera filiorum, saepissime se beatam praedicabat, et diis gratias agebat, non propter divitias atque imperium, sed quod tres filios suos videret esse fratris natu maximi quasi satellites, ita, ut ille sine ullo metu versaretur inter ipsos, hastas et gladios ferentes. Contra Xerxes cum comperisset, Ochum filium insidias struxisse fratribus, moerore extinctus est.

9. Persae filios suos a quinto anno ad vicesimum, tria edocebant, equitare, sagittas arcu mittere, vera loqui. Turpissimum apud eos habebatur mentiri: secundum mendacium in proximo turpitudinis loco ponebant aes alienum, maxime propterea quod, qui aes alienum contraxisset, mentiri et plerumque verba pro re dare soleret.

10. Legibus cautum erat apud Lacedaemonios, ut adolescentes non solum parentes suos revererentur, eisque obedirent, sed seniores quoque omnes colerent. Itaque de via illis decedebant, assurgebant et consistebant, dum ille transissent.

11. Cuilibet seni apud Lacedaemonios non modo licebat juniores omnes monere et verbis castigare, verum etiam proposita poena erat hoc officium non praestanti; ita, ut, qui peccantem juvenem increpare neglexisset, perinde puniretur, ac si ipse peccasset.

12. Cum animadverteret Lycurgus adolescentes plerumque ad injuriam faciendam proclives esse, et cupiditatibus voluptatum vehementibus urgeri; plurimos iis laboribus imposuit, occupationesque plurimas excogitavit: Etiam Cretum leges erudiunt juventutem venando, currendo, esuriendo, sitiendo, algendo, aestuando.

13. Amasis, Aegyptiorum rex, lege sanxerat, ut singuli cives singulis annis accederent ad provinciarum praefectos: quibus qui probare non posset, se profiteri artem aliquam certam et

honestam, unde viveret, tanquam perniciosus et inutilis civis morte afficiebatur.

14. Erat Epaminondas studiosus audiendi; ex hoc enim facillime disci arbitrabatur. Itaque cum in circulum venisset, in quo aut de republica disputaretur, aut de philosophia sermo haberetur: nunquam inde prius discessit, quam ad finem sermo esset adductus.

15. Cum Charondas, multarum apud Thurios legum auctor, videret, eos, qui optima ingenia nacti et bonis artibus instituti essent, plerumque corrumpi flagitiosorum hominum consuetudine, et multa inde in rempublicam mala redundare: lege cavit, ne quis familiaritate perditorum civium uteretur: gravemque multam ei imponi jussit, qui junctae cum improbis pravisque hominibus consuetudinis convictus esset.

16. Augustus etiam puer animum optimis artibus excolebat, corpus laboriosis militaribusque exercitationibus durabat. Eum diligenter observabant mater Attia et Philippus vitricus: quotidie a magistris et custodibus, quos puero apposuerant, studiose percontantes, quid rei egisset, quo esset profectus, qua ratione diem transegisset, denique quibuscum esset versatus. Hac Attiae matris diligentia factum est, ut Augustus multa evaserit pericula.

17. Pythagoras discipulis praecipiebat, ut raro jurarent; se vero dignos praeberent, quibus non jurantibus fides haberetur propter vitae integrita-

tem. Itaque Clinias, Pythagoricus, cum trium talentorum multam jurejurando effugere posset, maluit pecuniam solvere quam jurare, cum tamen non esset falso juraturus.

18. Cum Imperator Hadrianus stylo oculum servi cujusdam vulnerasset, ac postea eum vidisset factum ex illo vulnere unoculum; vocavit eum ad se, fecitque ei potestatem, petendi munos pro amisso oculo. Cum autem ille miser taceret, rursus hortatus est Hadrianus, ut, quidquid vellet, peteret. Tum ille negavit, se quidquam petere, desiderare autem, atque optare oculum, quem amisisset.

19. Aboriginum rex, Saturnus, tantae justitiae fuisse traditur, ut neque servierit sub illo quisquam, neque quidquam privatae rei habuerit, sed omnia communia et indivisa omnibus fuerint. Haec aetas aurea vocata est. Ad servandam tam felicis temporis memoriam instituta sunt apud Graecos et Romanos Saturnalia, in quibus dominorum ac servorum jus exequebatur. Immo per eos dies servi habitum herilem sumentes, sedebant ad mensam, dominis ministrantibus.

20. C. Plotius Plancus, a triumviris proscriptus, in regione salerhitana latebat. Ab iis, qui miseros persequebantur, comprehensi sunt servi ejus, multumque ac diu torti, negabant se scire, ubi dominus esset. Non sustinuit deinde Plancus, tam fideles, tamque boni exempli servos ulterius cruciari; sed processit in medium, jugulumque gladiis militum objecit.

21. Cum servus Urbinii Panopionis ad dominum proscriptum occidendum domesticorum indicio certiores factos milites in Reatinam villam venisse cognosset, commutata cum eo veste, permutato etiam annulo, illum postico clam emisit, se autem in cubiculum ad lectulum recepit, et ut Panopionem occidi passus est.

22. Epaminondas philosophiae praeceptorem habuit Lysim Tarentinum Pythagoreum; cui quidem sic fuit deditus, ut adolescens tristem et serverum senem omnibus aequalibus suis in familiaritate anteposuerit, neque prius eum a se dimiserit, quam in doctrinis tanto antecesserit condiscipulos, ut facile intelligi posset, pari modo superatum omnes in ceteris artibus.

23. Vespasianus natus est in Sabinis vico modico, cui nomen est Phalaerine; educatus sub paterna avia Tertulla in praediis Cosanis. Quare princeps quoque et locum incunabulorum assidue frequentavit, manente villa, qualis fuerat olim, ne quid scilicet oculorum consuetudini deperiret; et aviae memoriam tantopere dilexit, ut solemnibus et festis diebus pocillo quoque ejus argenteo potare perseveraverit.

24. Cum Cicero, natus vivente avo in parva villa dixisset Attico, se eo loco maxime delectari; respondit ei Atticus: Ego vero istam tibi justam causam puto, cur huc libentius venias atque hunc locum diligas. Quin ipse, vere dicam, sum illi villae amicior modo factus, atque huic omni solo,

in quo tu ortus et procreatus es. Movemur enim, nescio quo pacto, locis ipsis, in quibus eorum, quos diligimus aut admiramur, adsunt vestigia.

25. Cum Pythagoras accepisset, Pherecyden, qui ejus Praeceptor fuerat, in insula Delo gravissime aegrotare: confestim ex Italia in insulam navigavit. Ubi cum aliquamdiu seni fomenta adhibuisset studiose, nihilque omisisset, quo ad pristinam valetudinem, eum revocaret: tandem senectute et morbi vi superatum sedulo sepeliit; et postquam ei, tanquam patri filius, justa persolvisset, rursus in Italiam revertit.

26. Diagoras Rhodius tres filios adolescentes habuit, unum pugilem, alterum pancratiasten, tertium luctatorem; eosque omnes vidit vincere, coronarique Olympiae eodem die. Cum ibi eum tres adolescentes amplexi, coronis suis in caput patris positis, suaviarentur; cumque populus gratulabundus flores undique in eum faceret, ibi in stadio, inspectante populo, in osculis atque in manibus filiorum animam efflavit.

27. Scilurus, Scytharum rex, morti proximus afferri fasciculum hastilium jussit, eumque ut erat colligatus, dedit confringendum filiis suis octoginta. Cum id quisque se posse facere negasset; ipse soluto fasciculo, singula hastilia facile confregit: ita docens illos, si concordes essent, insuperabiles fore, si dissiderent, infirmos futuros.

28. Cum Darius, Persarum rex, obiisset, certamen de regno ejus ortum est inter Ariamenem, maximum natu filiorum ejus et Xerxem, quod quidem concordi animo ad patruum suum Artaphernem, velut ad domesticum judicem, deferunt, qui domi cognita causa Xerxem praeposuit; adeoque fraterna contentio fuit, ut nec victor insultaverit, nec victus doluerit, ipsoque litis tempore invicem munera miserint. Tanto moderatius tum fratres inter se regna maxima dividebant, quam nunc exigua patrimonia partiuntur.

29. Primo punico bello Regulus captus a Poenis, cum de captivis commutandis Romam missus esset, jurassetque, se rediturum: quid fecit? in senatum venit; mandata exposuit; sententiam ne diceret, recusavit; quamdiu jurejurando hostium teneretur, non esse se senatorem. Atque illud etiam, reddi captivos negavit esse utile: illos enim adolescentes esse, et bonos duces, se jam confectum senectute. Cujus cum valuisset auctoritas; captivi retenti sunt; ipse Carthaginem rediit; neque cum caritas patriae retinuit nec suorum.

30. Antiochus, cognomento Grypus, adversus Seleucum fratrem de regno bellum gerebat. Cum vero Seleucus, a Galatis victus, nusquam appareret, et interfectus putaretur; Antiochus purpuram deposuit; pullaque veste sumta et clausa regia fratrem luxit. Paulo post cum audiisset, illum vivere, et alium exercitum colligere, in publicum

progressus diis sacra propter salutem fratris fecit, et parentes sibi gentes laetitiae caussa coronas gestare jussit.

31. Vetusto Macedoniae more regi Alexandro nobilissimi pueri praesto erant sacrificanti. E quibus unus, thuribulo arrepto, ante ipsum adstitit, in cujus brachio carbo ardens delapsus est. Quo etsi ita urebatur, ut adusti corporis ejus odor ad circumstantium nares perveniret; tamen et dolorem silentio pressit, et brachium immobile tenuit, ne sacrificium Alexandri aut concusso thuribulo impediret, aut edito gemitu regias aures adspergeret.

32. Viri inter Graecos praestantissimi per vitam omnem in summa paupertate jacuerunt, nec eorum virtus pecunia potuit expugnari. Epaminondas, dux clarissimus Thebanorum, unum tantum habuit pallium. Quoties igitur illud mittebat ad fullonem; ipse interea cogebatur se continere domi, quod alterum deesset. Itaque cum ei Parsarum rex magnam auri copiam misisset: noluit accipere. Si recte judico celsiore animo fuit is, qui aurum non accepit, quam qui obtulit.

33. Damonem et Phintiam, Pythagoreos ferunt hoc animo inter se fuisse, ut cum eorum alteri tyrannus Dionysius diem necis destinavisset, et is, qui morti addictus esset, paucos sibi dies commendandorum suorum caussa postulavisset, vas factus sit alter ejus sistendi; ut, si ille non revertisset, moriendum esset ipsi. Qui cum ad diem se

recepisset, admiratus eorum fidem, tyrannus, petivit, ut se ad amicitiam tertium adscriberent.

34. Themistocles post victoriam ejus belli, quod cum Persis fuit, dixit in concione, se habere consilium reipublicae salutare, sed id scire opus non esse; postulavit, ut aliquem populus daret, quocum communicaret. Datus est Aristides. Huic ille, classem Lacedaemoniorum, clam incendi posse, quo facto frangi eorum opes necesse esset. Quod Aristides cum audisset, in concionem magna exspectatione venit, dixitque, perutile esse consilium, quod Themistocles afferret, sed minime honestum: Itaque Athenienses, quod honestum non esset, id ne utile quidem putaverunt, totamque eam rem, quam ne audierant quidem, auctore Aristide repudiaverunt.

35. Paupertatem adeo facile perpessus est Epaminondas, ut de republica nihil praeter gloriam ceperit. Fide ad alios sublevandos saepe sic usus est, ut possit judicari, omnia ei cum amicis fuisse communia. Nam cum aut civium suorum aliquis ab hostibus esset captus, aut virgo amici nobilis propter paupertatem collocari non posset, amicorum consilium habebat, et, quantum quisque daret, pro cujusque facultatibus imperabat: eamque summam cum faceret, prius, quam acciperet pecuniam, adducebat eum, qui quaerebat, ad eos, qui conferebant; eique ut ipsi numerarent, faciebat, ut ille, ad quem ea res perveniebat, sciret, quantum cuique deberet.

36. Ut Lacedaemoniis nihil superesset, quod magnopere quaererent, praeter laudem virtutis, auri argentique usum, velut omnium scelerum materiam sustulit Lycurgus. Hocque adeo severe ab illo interdictum scribunt, ut inquireretur de auri possessione, tanquam de gravi scelere; et qui hac in re contra leges peccasse deprehensus esset, morte poenas daret. Solo ferreo nummo uti permisit, qui ita gravis pondere, et mole amplus erat, ut ad transferendum non ita magnum ejusmodi nummorum numerum plaustro opus esset. Emi singula non pecunia, sed compensatione mercium jussit. Fundos omnium aequaliter inter omnes divisit, ut aequata patrimonia neminem potentiorem altero redderent.

37. Timoleon, Corinthius, sine dubio magnus omnium judicio extitit. Cum frater ejus Thimophanes dux a Corinthiis delectus tyrannidem per milites mercenarios occupasset, particepsque regni posset esse: tantum abfuit a societate sceleris, ut antetulerit suorum civium libertatem fratris saluti, et patriae parere legibus, quam imperare satius duxerit. Itaque fratrem tyrannum interficiendum curavit. Hoc facinus non pari modo probatum est ab omnibus; nonnulli enim laesam ab eo pietatem putabant, et invidia laudem virtutis obterebant.

38. Phocion, Atheniensis, etsi saepe exercitibus praefuit, summosque magistratus cepit: tamen multo ejus notior integritas est vitae, quam rei militaris labor. Fuit enim perpetuo pauper,

cum

cum ditissimus esse posset propter frequentes delatos honores potestatesque summas, quae ei a populo dabantur. Hic cum a rege Philippo munera magnae pecuniae repudiaret, legatique hortarentur accipere, simulque admonerent, si ipse his facile careret, liberis tamen suis prospiceret, quibus difficile esset in summa paupertate tantam paternam tueri gloriam: his ille: si mei similes erunt, idem hic, inquit, agellus illos alet, qui me ad hanc dignitatem perduxit: sin dissimiles sunt futuri, nolo meis impensis illorum ali augerique luxuriem.

39. Xenophon cum solenne sacrum perageret, e duobus filiis majorem natu nomine Gryllum apud Mantineam in praelio cecidisse cognovit; nec ideo institutum deorum cultum omittendum putavit, sed tantumodo coronam deponere contentus fuit. Quam ipsam, percunctatus, quonam modo occidisset, ut audivit, fortissime pugnantem interiisse, capiti reposuit, numina quibus sacrificabat, testatus, majorem se ex virtute filii voluptatem, quam ex morte amaritudinem sentire. Alius removisset hostiam, abjecisset altaria, lacrymis respersa thura disjecisset. Xenophontis corpus religione immobile stetit, et animus in consilio prudentiae stabilis mansit, ac dolori succumbere, ipsa clade, quae nuntiata erat, tristius duxit.

40. Darius adversus Alexandrum in Cilicia pugnaturus, coëgerat undique paene innumerabilem militum multitudinem. Cujus tum universae adspectu admodum laetus, purpuratis solita

vanitate spem ejus inflantibus, conversus ad Charidemum Atheniensem, belli peritum et ob exilium infestum Alexandro; quippe Athenis, jubente eo, fuerat expulsus; percontari coepit; Satisne ei videretur instructus ad obterendum hostem? At ille, et suae sortis et regiae superbiae oblitus, ait, illam ex omnibus orientis partibus excitam hominnm multitudinem, purpura auroque nitentem futuram esse imparem Macedonibus, qui, paupertate magistra usi, militarem disciplinam didicissent, et non decora arma sed fortitudinem animi ad praelium afferrent. Itaque suasit, ut argentum atque aurum illud, quo ejus exercitus frustra fulgeret, ad conducendum e gente bellicosa militem mitteret.

Sechste Abtheilung.

Briefe.

1. Cicero Basilo Salutem.

Tibi gratulor, mihi gaudeo, te amo, tua tueor; a te amari, et quid agas, quidquid agatur, certior fieri volo.

2. C. Plinius Fabio Justo suo Salutem.

Olim nullas mihi epistolas mittis. Nihil est inquis, quod scribam. At hoc ipsum scribe, nihil esse, quod scribas: vel solum illud, unde incipere priores solebant: si vales, bene est, ego valeo. Hoc mihi sufficit; est enim maximum. Ludere me putas? Serio peto. Fac sciam, quid agas, quod sine sollicitudine summa nescire non possum. Vale.

3. C. Plinius Plinio Paterno suo S.

Ut animi tui judicio, sic oculorum plurimum tribuo: non quia multum (ne tibi placeas) sed quia tantum, quantum ego, sapis: quanquam hoc quoque multum est. Omissis jocis, credo decentes esse servos, qui sunt emti mihi ex consilio tuo; superest, ut frugi sint: quod de venalibus melius auribus, quam oculis judicatur. Vale.

4. C. Plinius Valeriano suo S.

Quomodo te veteres Marsi tui? quomodo emtio nova? placent agri, postquam tui facti sunt? Rarum idquidem; nihil enim aeque gratum est adeptis quam concupiscentibus. Me praedia materna parum commode tractant; delectant tamen, ut materna: alioqui longa patientia obcallui. Habent hunc finem assiduae querelae, quod queri pudet. Vale.

5. Cicero Attico S.

Utinam illum diem videam, cum tibi agam gratias, quod me vivere coëgisti! adhuc quidem valde me poenitet; sed te oro, ut ad me Vibonem statim venias, quo ego multis de causis converti iter meum. Sed eo si veneris, de toto itinere ac fuga mea consilium capere potero: si id non feceris, mirabor; sed confido te esse facturum. Vale.

6. C. Plinius Maurico suo S.

Sollicitas me in Formianum. Veniam ea conditione, ne quid contra commodum tuum facias: qua pactione invicem mihi caveo. Neque enim mare et littus, sed te, otium, libertatem sequor, alioqui satius est in urbe remanere. Oportet enim omnia aut ad alienum arbitrium aut ad suum facere: mei certe stomachi haec natura est, ut nihil nisi totum et merum velit. Vale.

7. C. Plinius Prisco suo S.

Exprimere non possum, quam jucundum sit mihi, quod Saturninus noster summas tibi apud me gratias aliis super alias epistolis agit. Perge, ut coepisti, virumque optimum quam familiarissime dilige, magnam voluptatem ex amicitia ejus percepturus, nec ad breve tempus. Nam cum omnibus virtutibus abundat, tum hac praecipue, quod habet maximam in amore constantiam. Vale.

8. C. Plinius Vero suo S.

Gratias ago, quod agellum, quem nutrici meae donaveram, colendum suscepisti. Erat, cum donarem, centum millium nummum; postea decrescente reditu, etiam pretium minuit, quod nunc, te curante, reparabit. Tu modo memineris, commendari tibi a me non arbores et terram (quanquam haec quoque) sed munusculum meum; quod esse quam fructuosissimum non illius magis interest, quae accepit, quam mea, qui dedi. Vale.

9. M. T. C. C. Curioni S. D.

Gravi teste privatus sum amoris summi erga te mei, patre tuo, clarissimo viro, qui cum suis laudibus, tum vero te filio superasset omnium fortunam, si ei contigisset, ut te ante videret, quam a vita discederet. Sed spero nostram amicitiam non egere testibus. Tibi patrimonium dii fortunent. Me certe habebis, cui et carus aeque sis et jucundus, ac fuisti patri.

10. Cicero Attico S.

Terentia tibi et saepe et maximas agit gratias; id est mihi gratissimum. Ego vivo miserrimus, et maximo dolore conficior. Ad te quid scribam, nescio. Si enim es Romae, jam me assequi non potes: Sin es in via, cum eris me assequutus, coram agemus, quae erunt agenda. Tantum te oro, ut, quoniam me ipsum semper amasti, eodem amore sis; ego enim idem sum. Inimici mea mihi, non me ipsum, ademerunt. Cura, ut valeas. Dat. VIII. Id. Apr. Thurii.

11. Cicero Attico S.

Post tuum a me discessum litterae mihi Roma allatae sunt, ex quibus perspicio, nobis in hac calamitate tabescendum esse: neque enim, (sed bonam in partem accipies,) si ulla spes salutis nostrae subesset, tu, pro tuo amore in me, hoc tempore discessisses. Sed ne ingrati, aut ne omnia velle nobiscum una interire videamur, hoc omitto: illud abs te peto, des operam, id quod mihi affirmasti, ut te ante Cal. Jan. ubicunque erimus, sistas.

12. C. Plinius Fabato Prosocero suo S.

Gaudeo qnidem esse te tam fortem, ut Mediolani occurrere Tironi possis; sed, ut perseveres esse tam fortis, rogo ne tibi contra rationem aetatis tantum laboris injungas. Quin immo denuntio, ut illum et domi et intra domum,

atque etiam intra cubiculi limen exspectes. Et enim cum a me ut frater diligatur, non debet ab eo, quem ego parentis loco observo, exigere officium, quod parenti suo remisisset. Vale.

13. C. Plinius Serviano suo S.

Rectene omnia? quod jam pridem epistolae tuae cessant: An omnia recte; sed occupatus es tu? An tu non occupatus; sed occasio scribendi vel rara vel nulla? Exime hunc mihi scrupulum, cui par esse non possum. Exime autem vel data opera tabellario misso: ego viaticum, ego etiam praemium dabo; nuntiet mihi modo, quod opto. Ipse valeo; si valere est, suspensum et anxium vivere, exspectantem in horas, timentemque pro capite amicissimo, quidquid accidere homini potest. Vale.

14. Q. Metellus Nep. S. D. M. T. C.

Hominis importunissimi contumeliae, quibus crebris concionibus me onerat, tuis erga me officiis leniuntur, et, ut sunt leves ab ejusmodi homine, a me despiciuntur; libenterque, commutata persona, te mihi fratris loco esse duco. De illo ne meminisse quidem volo; tametsi bis eum invitum servavi. De meis rebus, ne vobis multitudine litterarum molestior essem, ad Lollium perscripsi; de rationibus provinciae quid vellem fieri, ut is vos doceret et commonefaceret. Si poteris, velim pristinam tuam erga me voluntatem conserves. Vale.

15. C. Plinius Calpurniae suae S.

Scribis, te absentia mea non mediocriter adfici, unumque habere solatium, quod pro me libellos meos teneas, saepe etiam in vestigio meo colloces. Gratum est, quod nos requiris, quod his fomentis acquiescis: invicem ego epistolas tuas lectito, atque identidem in manus quasi novas sumo; sed eo magis ad desiderium tui accedor. Nam cujus litterae tantum habent suavitatis, hujus sermonibus quantum dulcedinis inest? Tu tamen frequentissime scribe, licet hoc ita me delectet, ut torqueat. Vale.

16. M. T. C. Imp. M. Coelio Aedili Curuli S. D.

Marco Fabio, viro optimo et homine doctissimo, familiarissime utor, mirificeque eum diligo, cum propter summum ingenium ejus, summamque doctrinam, tum propter singularem modestiam. Ejus negotium sic velim suscipias, ut si esset res mea. Novi ego vos magnos patronos. Omnia relinques, si me amabis, cum tua opera Fabius uti volet. Ego res romanas vehementer exspecto et desidero; inprimisque, quid agas, scire cupio; nam jamdiu propter hiemis magnitudinem nihil novi ad nos afferebatur. Vale.

17. Cicero Papirio Paeto.

Heri veni in Cumanum: cras ad te fortasse. Sed cum certum sciam, faciam de paulo ante

certiorem. Etsi M. Ceparius, cum mihi in silva Gallinaria obviam venisset, quaesissemque, quid ageres, dixit te in lecto esse, quod ex pedibus laborares. Tuli scilicet moleste, ut debui: sed tamen constitui, ad te venire, ut et viderem te, et viserem, et coenarem etiam. Non enim arbitror, coquum etiam te arthriticum habere. Expecta igitur hospitem cum minime edacem, tum inimicum coenis sumtuosis. Vale.

18. Cicero Trebatio.

Quam sint morosi, qui amant, vel ex hoc intelligi potest. Moleste ferebam antea, te invitum istic esse; pungit me rursus, quod scribis, esse te istic libenter. Neque enim mea commendatione te non delectari facile patiebar; et nunc angor, quidquam tibi sine me esse jucundum. Sed hoc tamen malo, ferre nos desiderium, quam te non ea, quae spero, consequi. Cum vero in C. Matii, suavissimi doctissimique hominis familiaritatem venisti, non dici potest, quam valde. Gaudeam: qui fac ut te quam maxime diligat. Mihi crede, nihil ex ista provincia potes, quod jucundius sit, deportare. Cura, ut valeas.

19. C. Plinius Nepoti suo S.

Petis, ut libellos meos, quos studiosissime comparasti, recognoscendos emendandosque curem. Faciam. Quid enim suscipere libentius debeo, te praesertim exigente? Nam cum vir gravissimus,

doctissimus, disertissimus super haec occupatissimus, maximae provinciae praefuturus, tanti putes, scripta nostra circumferre tecum; quanto opere mihi providendum est, ne haec pars sarcinarum tanquam supervacua offendat? Adnitar ergo primum, ut comites istos quam commodissimos habeas: deinde ut reversus invenias, quos istis addere velis. Neque enim mediocriter me ad nova opera tu lector hortaris. Vale.

20. C. Cassius Procos. M. T. C. S. P. D.

Si vales, bene est: ego quidem valeo. In Syriam me profectum esse scito ad L. Murcum et Q. Crispum, imperatores. Viri fortes optimique cives, posteaquam audierunt, quae Romae gererentur, exercitus mihi tradiderunt; ipsique mecum una fortissimo animo rempublicam administrant. Item legionem, quam Q. Caecilius Bassus habuit, ad me venisse scito. Nunc te cohortatione non puto indigere, ut nos absentes remque publicam, quantum est in te, defendas. Scire te volo, firma praesidia vobis senatuique non deesse, ut optima spe et maximo animo rempublicam defendas. Reliqua tecum aget L. Cartejus, familiaris meus. Vale. Data Nonis Martiis, ex castris Taricheis.

Druckfehler.

In der Vorrede Seite III Zeile 12 steht Gespärche, anstatt Gespräche

S. 24	Zeile 10	steht	latis,	soll heißen	laetis
— 45	letzte Zeile	—	cum,	— —	eum
— 47	Zeile 11	—	quotide,	— —	quotidie
— 50	— 3	—	avante,	— —	ovante
— 52	— 12	—	ad,	— —	at
— 55	letzte Zeile	—	extinitus,	— —	extinctus
— 56	Zeile 13	—	ille,	— —	illi
— 58	— 8	—	munos,	— —	munus
ebend.	— 24	—	salehitana,	— —	salernitana
— 60	— 10	soll der Beystrich nach valetudinem weg			
— 68	— 4	steht idquidem anstatt id quidem			
— 71	— 1	—	Et enim	—	Etenim